

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Oratio dicta in funere Friderichi Saxoniae Ducis

Melanchthon, Philipp

Haganoae, 1525f f

urn:nbn:de:bsz:31-106576









ORATIO dicta in funere FRIDÉ
RICHI Saxonæ Ducis .

ORATIO de Legibus .

ORATIO de Gradibus .

P R A E F A T I O in AEschinis & De
mosthenis orationes .

ORATIO Criticæ contra Therane
nem ex Xenophonte .

PHIL . MEL . AVTORE

Haganoæ , excudebat Iohan . Secer .
Anno M . D . XXV .



ak

ORATIO DE ...

ORATIO DE ...

ORATIO DE ...

PRÆFATIO ...

1 an 87A 75 B 67 RH

ORATIO DE ...

PHIL. MEL. AVTOR

Hageno. excelsior. Gott.
Anno M. D. XXXV

✓

OR
CT



da, vel orat
popularium
ad dicendam
sui officij pie
petunt. Et
hunc honore
tes summis u
inter crutor
tim in rece
cum Repub
bris sapient
requirebat ue

ORATIO DI

CTA IN FVNERE FRI-

DERICI Saxonie

Ducis.



GO IN HOC PVBLI
co luctu, acerbissimoq; om-
nium dolore, cum erat uel
interitus Sapientissimi Prin-
cipis deplorandus, uel iactu
ra Reipubl. quam illo amisso
fecimus maximam, deslen-

da, uel oratione leuanda mentes procerum, aut etiam
popularium, non modo non satis presentem animam
ad dicendum adferre me sentio. Sed hæc uox etiam te-
stis officij pietatisq; nostræ mœrore lachrymisq; im-
peditur. Et cum præclaræ uirtutes huius Principis
hunc honorem, quo semper optimæ constitutæ ciuita-
tes summis uiris parentarunt, in primis mereantur gra-
uiter crutior, quod pulcherrima eius merita, præser-
tim in recenti luctu à nobis ornari nequeunt. Nam
cum Reipubl. orbitate, quæ in hoc motu, & his tene-
bris sapientiam huius hoc tempore tanquam lumen
requirebat uehementer perturbor, tum auget dolorē

A a ij

O R A T I O

priuatus luctus. Etenim cum uiuum non modo propter beneficia que extant erga me ab illo profecta innumera, coluerim, sed etiam propter insignem uirtutem unice admiratus sum & amaram, non potuit fieri, quin tanti uiri interitum ualde consternerer. Nos igitur & ingenij inopia, & dolore impediti non institimus Encomium laudum illius, tantum hac misera uoce, & his lachrymis gratitudinem animi nostri declaramus, ut intelligi possit iucundam nobis illius uirtutem, grata officia fuisse.

Sed ut intelligat rectius hæc turba, quantam gratiam manibus huius Principis debeat, attingam obiter quasdam eius laudes, & tanquam procul ostendam. Et quamuis non sumo mihi tantum, ut oratione mea leuari moerorem illorum posse sperem, qui tacturæ magnitudinem intelligunt, quam hoc casu Respubl. fecit, tamen spero fore, ut illa ipsa memoria uirtutum illius leniat acerbitatem luctus. Cum diuinæ literæ doceant diuinitus præfici Magistratus Reb. P. & sato Principes dari, plurimum profecto superis hæc debet natio, postquam talis contigit Princeps, qui cum esset primæ naturæ factus ad omnes artes pacis, & ad humanitatem, & mansuetudinem nihil antiquius aut prius populæ salute habuit. Prædicent alij maiorum imagines & uetera stemmata, qua laude quanquam abundant

Saxoniæ

FVNEBRIS

Saxonie Principes, tamē erant alia in FRIDERICO maiora, sciētia gerēdi imperij, et animi magnitudo summa. Fallitur autem, si quis putat armis tantū et u teneri Respublicas, plus ad eam rem momenti adferunt pacis artes, iustitia, moderatio animi, constantia, tangi cura publicæ salutis, diligentia in dicendo iure, in dirimendis ciuium dissensionibus, tolerantia in perpetuendis uulgi erratis, seueritas in coercentis improbis, clemētia in seruandis his qui corrigi possunt. Ad uulgus in maiore admiratione sunt, clariusq; cernuntur bellicæ uirtutes, et plaris fit miles aliquis athletico robore, quā moderatus & placidus ciuis. Toga uirtutes & urbanæ, ut aliæ res bonæ latent, nec satis notæ sunt imperiis. Itaq; leuiter laudari eos putant, quibus pacis studia artesq; tribuuntur. Ego uero ita sentio longe præstare, siue quis utilitatem spectet, siue hominis naturam castrensi usu pacis studia, nec paciar præponi Augusto Principi quietis ocijq; amanti, Antonium imperatorem magnum illum quidem, sed perniciosum Reipubl. nec Græcis plus contulit Alcibiades quā Solon, Quorum alter bellum ex bello serens euerit patriam, aliter legibus laus & ciuitate iure constituta non semel tantum seruauit. Finxerat itaq; Deus ad hās utiliores & meliores uirtutes FRIDERICVM. Quapropter primū turbulen

A a iij

ORATIO

tis Germaniæ temporibus, tamē semper cauit, ne quo bello suæ gentes uexarentur.

Quam mihi uictoriam audet aliquis ad hæc conferre, cum tam uarij motus annis iam plus triginta in tota Germania fuerint, cum toties uis pararetur, multi, ut fit in regno, inuiderent ei ocium, multi instigarent ad mouenda arma. Crede mihi, nō mediocris illatum prudētia erat tum fortitudo, animum atq; iracundiam uincere, parcere populi uita, et pecunijs, ratione, consilioq; uim hostilem discutere. Periculum ferunt animam iam penē agentem, cum circumstantes amici prædicarent eius trophæa & uictorias dixisse illā laudem non tam suam esse, quā militum aut fortune, hæc esse proprie suam, quod nemo ciuis sua causâ unquam nigram uestem induisset, uolebat enim docere priuata dignitatis tuendæ causâ neminem unquam ciuem interfecitum à se esse. At hic noster non modo priuatis iniurijs nunquam cum periculo ultus est, sed bella etiam, et uim publicam ratione, sine ciuium cæde oppressit. Verius hic de se prædicare possit, Cedant arma Togæ, quā Cicero, qui motum in Reipubl. ciuilem armis crudelius etiam quā res poscebat uindicauit. Porro quemadmodum periculosis temporibus sine summa uigilantia, summoq; labore nauem seruare incolumem gubernator nō potest, ita tam diuā tempore

FVNEBRIS

pore pacatam tenere provinciam tot annos, non est
 vulgari ingenij opus. Et si uictoria sanguine partæ
 trophæis ac triumphis ornantur, quàm grata nobis es-
 se debet harum uictoriarum memoria, ubi solius Prin-
 cipis consilio diligentiaq; bella profligata sunt. Quod
 si intelligeret uulgus, quantam perniciem ac uastitatē
 fœlicissimum etiam bellum adferat, & uideret prop-
 us pacis commoda, profecto statueret nihil à Deo me-
 lius, nihil utilius, nihil diuinius his regionibus dari po-
 tuisse quàm talem Principem tam pertinaciter fugitan-
 tem bella. Porro non caruerunt honore hæ uirtutes
 eius, dum enim uident publicis commodis tanta fide
 eum seruire populares, tanquam patrem serè ama-
 runt, nulla crudelitatis aut iniuriæ suspitio hæsit in ul-
 lius animo. Eratq; id consecutus quod scribit Xeno-
 phon, esse difficillimum, & planè diuinum, ut uolenti-
 bus imperaret. Neq; uero Principi quidquam contin-
 gere potest honorificentius, quàm ut prudentiæ & iu-
 stitiæ laudem illi ultro concedant subditi, ut salutem
 suã tuto illi commissam putent. Sic ille æquitate, diligē-
 tiaq; domi forisq; Remp. pacatā annos plus triginta te-
 nuit, legibus, moribus, ædificijs, ditione undiq; exor-
 nauit. Id magis putauit regiũ esse, excollere, ornareq;
 bono Publ. provinciã quã maiores tradidissent, quàm
 eũ multorũ iniuria fines regni proferre amplificareq;.

ORATIO

Et ut Græci prouerbio monuerunt, Spartam nasci or-
 nandam eam esse. Ita hic summa ui animi incubuit in
 hoc, ut tanquam domum paterfamilias, redderet ditio-
 nem omnibus bonis rebus florentiorem. Possent hic
 etiam commemorare, quam periculosa disidia extero-
 rum Principum, quam multa bella autoritate sua di-
 remerit. Sed neq; tempus longiorem orationem, neq;
 uires mea ferunt, & plerasq; res gestas notas esse uo-
 bis arbitror, quas si animo reputabitis, intellegitis sum-
 ma prudentia, summoq; consilio in Republ. uersatum
 esse, & uere salutarem Principem & patriæ & exte-
 ris fuisse. Ego profecto summam hanc uerissimamq;
 laudem eius esse duco, quod uia pacem tutatus est, ut
 tamen à bello prouocatus, etiam abstinuerit. Quæ
 laude nihil excogitari Principe illustrius potest. Diui-
 na enim preconia etiam meretur, nam cum mundus
 imperij possessionem ui atq; armis defendi debere exi-
 stimet, Christus contra, pronuntiat beatos esse mites
 & à seuitia alienos, eisq; possessionem terræ pollice-
 tur. Et paulo post, pacificos etiã filios dei adpellat.
 Erant tamen in eo priuata etiam uirtutes magnæ,
 præcipuum religionis Christianæ studium. Nam sa-
 cra per omnem uitam religiose tractauit, & cum ma-
 gna uarietas opinionum de religione his temporibus
 fuerit, tamen optima certissimq; semper delegit. Et
 cum

FVNEBRIS

cum antehac Pontificum constitutiones, et quidam hu-
 mani ritus pro religione soli docerentur in tēplis, præ-
 stitit ea quæ in moribus erant diligenter, id quod ego
 specimen bonæ mentis interpretor, & quia putabat il-
 los ritus conducere ad assuefaciendos animos uulgi,
 inuitandosq; ad studium cognoscendæ religionis, tem-
 pla cōdidit, ceremonias inuexit, accersiuit undecunq;
 qui sacra docerent. Et tamen accipio tum quam ani-
 mo requirentem syncerorē, tractationem Christianæ
 doctrinæ, sæpe cum doctis uris cōfabulatum esse de
 ui naturaq; religionis. O altam generosamq; mentē,
 neq; enim plebeios animos incesit hæc cura contem-
 plandæ, peruestigandæq; religionis. Magnam quan-
 dam ingenij uim, & heroicam indolem animaduerto
 in eo fuisse, cum tantopere arfisse studio perdiscendo-
 rum sacrorum uideo. Est autem profecto hæc cura in
 primis digna Principe, sæpe delectatum ferunt, si quis
 humanas rationes in causâ religionis adferret, pro-
 pterea inquit, quod nihil tam acute colligi posset, quin
 idem euerti citiam queat arguendo. Dicebatq; optare
 se ut de sacris ex solo Dei uerbo iudicaretur. Hæc tum
 agitabat animus eius, cū religio tota esset obruta Mo-
 nachorum somnijs. Postea uero quam perpurgari ce-
 pit, & tanquam reuiuiscere Christiana doctrina,
 adplicuit animum ad eam penitus cognoscendam, ne

ORATIO

quid temere aut probaret aut damnaret, ubi perspexit
 vim religionis, toto pectore amplexus est ea que ad
 suam mentem conformandam facerent, & pietatem
 alerent, ociosis disputationibus, que ad edificationem
 nihil conducunt, longum ualere dixit, & in ritibus pu-
 blicis, quia uidebat prophanos quosdam homines con-
 temptis publicis moribus pretextu libertatis Euāgeli-
 cæ propemodum in belluas mutari, diligentissime ca-
 uit, ne quid mutaret temere, ne suo exemplo imperiti
 peccarent. Et sentiebat id quod res est publicam mo-
 rum mutationē periculosam esse. Cūq; de religione
 hoc modo, ut dixi, sentiret, & regionibus suis pure do-
 certi sacra pateretur, quanta Deum immortalem con-
 stantia, quāto robore animi sustinuit inuidiam, qua in
 Pontificio regno flagrauit, uicit Pontificum fulmina,
 & minas summorum Regum, contempsit conuicia
 uulgi sacrificulorum sacra in questu habentiū. Qua
 in re satis declarauit se ex animo uereq; fauere Chri-
 sto, cum illius notam sibi iniuri patēretur, cum in cor-
 pore suo illius stemmata gestaret, hoc est, cum ad Chri-
 sti exemplum, ipse etiam laceraretur. Quid enim nisi
 perpetua carnificina animi suū ille hostium impetus.
 Cuius mihi Eremitæ ieiunia & uigilias, cum his affli-
 ctionibus audet quisquam conferre. Non profecto gra-
 uius oppugnatus est Exechias, quanquam mœnia So-
 lymoruna

FVNEBRIS

lymorum cinxisset hostis. Vidit hic quoq; non senel
 expediti aduersus se arma, & propemodū iugulo gla-
 dium intentari. Sed quia religionis causam sciebat hu-
 manis viribus sustineri aut defendi nō posse, nihil ipse
 contra molitus, salutem suam et suarum gentium Deo
 committebat. Et quemadmodum uir foriū. apud Poe-
 tam ait: Quidquid erit superanda omnis fortuna feren-
 do est. Ita patientia, moderationeq; animi inimicorū
 sauitiam, quantum fieri potuit, mitigauit. Non uacat
 hanc laudē tractare pluribus. Prætereo iam quod scho-
 la constituta sensit quantum adferat Reb. Publ. scien-
 tia literarū, quas uulgus Principum odit cane peius
 et angue. Omitto qua diligētia fideq; amicos adiunxe-
 rit, coluerit, & quod in regno difficultū est, retinue-
 rit. Prætereo quæ in adeundis periculis cōtatto fuerit,
 quæ constantia in perferendis fuerit. Non dico quan-
 ta suauitas in familiari congressu fuerit, quanta in ser-
 mone urbanitas, quanta ingenij argutia fuerit. Non
 commemoro scientiam rei familiaris gubernandæ, quæ
 fuit in illo mira, & qua nuper auoniam ingrauescen-
 tem laxauit. Hæc omnia animo repetenda sunt uo-
 bis, & memoria omnium illius uirtutum ac meri-
 torum reuocanda, Ut expendatis, primum quan-
 tam Deo pro tali Principe gratiam, deinde quan-
 tam ipsius manibus debeamus, nulla ætas ex animis

O R A T I O

nostris memoriam tantæ uirtutis ac beneficiorum dele-
 re debet. Amisit enim miseros nos, patria non tantum
 principem utilem ac salutarem, & diuturnæ pacis cu-
 stodē, sed patrem etiam à quo bonis omnibus rebus
 exornata est. Diuinos honores meruerunt alicubi qui
 culturam agrorum ostenderunt, Hic agrorum cul-
 turam, educationem sobolis, atq; institutionem, ne-
 gotiationem cōstantis tutatus est, pace per tot annos
 conseruata. Amiserunt & studia nostra Mæcenatem,
 nemo enim Principum, ingena aut norat melius aut
 aluit benignius. Amisit uniuersa Germania Senatus
 imperij Principem. In hoc plurimum bonis omnibus
 præsidierat, ad hunc proxime in magno Germania
 discrimine detulerant rerum summam omnes ordines,
 huius sapientiam, & auctoritatem iudicabant parem
 esse gerendo imperio, hunc tanquam oraculum ali-
 quod in ambiguis rebus cōsulebant. Et amissus est hoc
 tempore, cum tota Germania ciuili bello ardet, & ut
 ille dixit, Vicinæ ruptis inter se legibus urbes arma fe-
 runt, sicut toto Mars impius orbe, cunq; ad restituen-
 dam pacem, ad Legum, religionisq; emendatioē hu-
 ius auctoritate, prudentia, & animi magnitudine maxi-
 me opus erat. Nolim patriæ male ominari, at metuo
 tamen, ne Deus tratus terris hunc eripuerit, ne quem
 haberemus idoneum publicæ pacis autorem. Multis
 iam

lan prodigi
 Soles consp
 in aere tym
 uideretur
 Accesit a
 buanus P
 terant. E
 mus? non
 no, sed p
 patria in
 mitti sent
 perditiss
 in asper
 ditionis
 consili
 pugna
 Sed nim
 go, que
 a sapien
 commu
 ciendos
 Que re
 DER
 rā ius
 res dura

FVNEBRIS

iam prodigijs irā suā significauit Deus, nata monstra,
 Soles complures uisi, noctu trides conspectæ, sonitus
 in aëre tympanorū auditus, ut aut rerum omnium finis
 uideretur impēdere, aut singularis Germaniæ clades.
 Accessit ad hæc FRIDERICI mors, quem unū ha-
 buimus Principē, cuius cōsilio publica mala sanari po-
 terant. Et mortem tuā FRIDERICE non deslere
 mus? non doleremus uicem nostram orbati, nō Domi-
 no, sed patre alienissimo tempore. Contecit oculos
 patria in fratrem tuum, illius se fidei tuto quidem com-
 miti sentit, sed ipse etiam putat se sui aliquam partē
 perdidisse, te extincto, animi tui presentiam & robur
 in asperis omnibus rebus desiderat. Hic Senatus etiā
 ditionis dolore mœstitiāq; exanimatus caput publici
 consilij, tanquam in Imperatorem exercitus in dubia
 pugna requirit, tua signa, tuam uocē sequi adsuetus.
 Sed nimium indulgeo dolori, quin recreo me, & colli-
 go, quæ luctum aliqua ex parte minuant. Sunt autē
 à sapientibus uiris de breuitate uitæ mortalium, deq;
 communi nascentium conditione disputata ad assuefa-
 ciendos animos, ut communia mala æquius ferrent.
 Quæ nos hoc tempore non attingemus, Nā ego FRI-
 DERICO ipsi, quanquam & ratio & multarū re-
 rū usus addiderat magnū quoddam robur ad ferendas
 res duras, tamen aliam puto maiorem, efficaciorēq;

2 O R A T I O

causam, firmo animo adeunda mortis. Norat enim ex Christiana doctrina mortem esse generi hominum diuinitus impositam, non modo, ut pro peccato pœnā lucremus, quod erat sanè miserum, sed, quod pijs per esse gratum solet, ut morte deponatur peccatum, & ingrediamur immortalitatis iter. Porro & ante acta uita, & illa demum animi præsentia, cū iam penè animam ageret, argumēto sunt sensisse suam Deo salutē curæ esse. Nam præterquam quod religiose munijt sese Eucharistia, & Christianis precibus, sic accipio respondisse sub ipsum uitæ finem, cum consolaretur quispiam: Deus dedit, Deus abstulit, sit nomen Domini benedictum. O præclarā uocem, & testem bene sentientis animi de Deo. Nam mihi crede, quisquis ita adfectus est, ut sentiat huius lucis usuram diuinitus nobis concessam esse, deinde nos non temere occumbere, sed Dei arbitrio exuere hoc corpus, præterea non tantum depom uitam, sed Deo iam committi, postremo etiam Dei nomen in extremo discrimine prædicat. Is procul dubio animaduertit præsto adesse Deum portum & profugium periclitanti. Nam impia mens nescit se diuinitus accepisse uitam, temere existimat se occumbere, nihil in tanta calamitate præsidij habet. Postremo execratur etiam diuina omnia cum deseri se sentit. Hic uero implorans opem à Deo ipso, et postulans,

postulans, ut a
ffus est, quid
interim etiam
Deum. Ele
affatus, iose
ni constante
super pecca
facta eoru q
fuit odium iust
tis rebus, eo
fuerat, que
tēpore ita col
secres, post
mo genere
morbis cor
fatis obseq
le sue accep
pse. Philoso
eo summa et
paratus aff
ctū, qui ad
tulern. Hic
tus est am
tis & exan
ut sperare ne

FVNEBRIS

postulans, ut aliorū precibus iuuaretur, non semel pro-
 fessus est, quid speraret, ut se reiecisset totū in christū,
 interim etiam uerissimo suauissimoq; preconio ornans
 Deum. Etenim cum quidam admoneret fauore Deū
 afflictis, ipse subiecit clara uoce, atq; alacri, id uero mi-
 hi constanter de Optimo Deo meo promitto. Multa in
 super precatus, cōdonari sibi si quē laesisset, mētio etiā
 facta eorū quibus uidebatur subiratus, ut sentirēt depo-
 sitū odiū fuisse. Multa cōstituit de Republ. deq; priua-
 tis rebus, eodē uigore animi, quo in optima ualeitudie
 fuerat, quaedā ipse legit, multa dictauit, uerbis et sen-
 tētijs ita collocatis, ut pristinā mentis acrimoniā agno-
 sceres, postremo ex sentētia cōstitutis omnibus, leuissi-
 mo genere mortis extinctus est, ut satis adpareret, et
 morbis corporis uires diu iam fractas fuisse, et animū
 satis obsequentiē, facilēq; ad hunc extremū actū sabu-
 lē suae accessisse. Magnus quidā uir inter Græcos scri-
 pti Philosophiā mortis cōmentationē esse, putatq; in
 eo summā esse sapienciā, si ad mortē obeundā bene cō-
 paratus assuefactusq; fuerit. Sed eū puta recte assuefa-
 ctū, qui ad Christi exemplū, Euangelij causa multa
 tulerit. Hic uero noster quam uarie quassatus ac uexa-
 tus est annos iam aliquot religionis causa. Quae mor-
 tis et exitij simulachra interea animo obuersata sunt,
 ut sperē uenisse ad extremā hanc pugnā paratissimū.

ORATIO

Quod cum ita sit, & cum ille commode hanc calami
 rosam uitam deposuerit, gratulemur ei potius talem
 uitae exitum, in quo tam multa signa extant, ut im-
 mortalitatem adeptus, non amisisse uitam, merito cre-
 di debeat. Et cum ipse æquo animo discesserit è uita,
 fratrum ipsi etiam patienter uoluntate Dei, atq; opte-
 mus potius, ut simili mortis genere cū hinc euocabi-
 mur, desingamur. Fœlicè existimemus FRIDERI-
 CVM fuisse, in cuius uita tāta fuerit æquabilitas fortu-
 næ, quicq; illam animi sui lenitatē moderationēq; ad ex-
 tremum usq; spiritum retinuerit, pacem dedere superi-
 per omnem uitam, mens contigit quæ & in gerenda
 Republ. quia tuta semper consilia bello præferebat,
 nusquam à fortuna destituta est, & in priuatis rebus
 siquid aduersi fuit, ut sunt humana, moderatione animi
 constantiaq; uicit. Hic illi uitæ cursus fuit securus, &
 fœlex, qualem optare sibi alij Principes merito debe-
 ant. Agamus itaq; gratias Deo, qui illi autor tantæ
 fœlicitatis fuit, quicq; regionibus nostris tam salutarē,
 tamq; fœlicem Principem donauit. Non debeo prohi-
 bere, ne iacturam publicam hoc amisso factam deplo-
 retis. Verum interea postulo tamen in his quærelis, ut
 officij etiam uestri recordemini, ac gratias referatis
 Deo pro illo cumulo beneficiorum, qui tali Principe
 uobis contigit, & memoriam uirtutū Principis animis
 uestris

FVNEBRIS

uestris infigatis, cogitatisq; quid illius etiam manibus
pro summo labore & magnis arumnis, uestra caussa
susceptis, debeatis.

Debetis autem hoc primum, ut salutem animæ illi
us, pijs precibus Deo commendatis, deinde ut religio=
se pareatis optimis Principibus, qui huius uicem sub=
eunt, & publicæ salutis tranquillitatisq; tuendæ, tur=
bulentis. statu totius Europæ prouinciam suscipiunt.
Hæc pro pulcherrimis meritis FRIDERICI Manes
gratiâ debitâ repossunt, quâ nisi large præstiteritis,
susceptis non simplicem culpam. Non enim ingrati
tantum aduersus benemerentem FRIDERICVM
eritis, sed impij etiam in Deum & autorem beneficio
rum quæ illius imperio accepistis, & auspicem noui
imperij. Nec erit impune ingratiudine Deum offen=
dere. Precor autem Deum, ut FRIDERICI ani=
mam pro sua misericordia seruet ac tueatur, deinde,
ut nouum hoc Imperium Fratris fortunet, & his mise=
ris temporibus has regiones protegat, Et uobis mentem
det, publicæ tranquillitatis amantem, ut Prin=
cipes uestros, quemadmodum diuini=
tus præceptum, summa fide
religioneq; cola=
tis.

D I X I

B 6

ORATIO
DE LEGI

BVS ORATIO

PHIL. MEL.



DESyderant in
me plusculum fortasse pu-
doris aliqui, cum adfidiis
declamationibus, & insar-
tiam meam uulgo traduco,
et humanissimis in hac scho-
la patientissimisq; au-
litori-
bus toties odiose obstrepo. Ego uero agnosco me ar-
uirum imbecillitatem, meoq; me pede metior, & cum
de me ipso censuram ago, sentio quam non satisfaciam
politiss. quorundam auribus. Verum cum prouehen-
da rei literariae causa, hoc quidquid est operae, à me su-
matur, studium meum quaeso boni consulite. Nam cū
pars quaedam publici muneris in hac schola mihi dele-
gata sit, parum meminisse uiderer, quam sustineā per-
sonam, nisi de adulescentiū officio nonnunquam dice-
rem. Quod cum pro uirili faciam, easq; disciplinas
iuuentuti commendem, quibus neglectis, cum religio-
nem, tum res bonas alias labefieri necesse est, facile ut
spero impetrabo, ne mea mihi sedulitas fraudi sit. Sunt
enim

DE LEGIBVS

enim fauore, studijsq; omnium, iuuantur eorum conatus, qui literis non pestime consultum uolunt. Neq; aliã ob causam modo dicere instituumus, quã ut ijs qui hic ex more declamare solent, si qui forsã imbecillores sunt, meo exemplo nonnihil animi addam, & tanquam classicum canam. Deinde, ut eruditos omnes publica uoce rogem, ut in hanc arenam, & ipsi aliquando descendant, cum pueris collusuri. Socratem nihil puduit natu grandem, cum parujs filiolis equitare, ut ille ait, in arundine longa, quanto minus uobis uitio poterit uerti honestissimus conatus, si cum hoc grege de literis nonnunquã commentemini, quarũ causa quicquid susceperis, quando mortalia nihil diuinius habent, laudem meretur. Quæso itaq; ut scholæ operam suam ea in re candide impertiantur, quicunq; literis bene cupiunt. Sic enim statuo præclare de rebus humanis mereri, qui puerilia studia honestis exemplis accendunt. Iam & meam facultatem, ita demum probari uobis iudicabo, si imitari cœperitis, quæ si silentio uestro damnata fuerit, bone Deus, quam ipsi nobis displicebimus.

Sumus autẽ de legibus dicturi, deq; eo iure quod in scholis hoc tẽpore, & in iudicijs, in bona Europæ parte regnat. Nam eæ literæ non nuper male audire cœperunt, cum alijs prophetiarum legum parum pra-

ORATIO

professio, indignaq; Christianis uidetur, alij satius du-
cunt, ut iudicia non improbent prorsus, nam id nec
Scythæ solent, res ex æquo et bono sine scriptis legib.
iudicare. Horum calumnias pro nostri ingenij medio
critate, reuellere conabimur, ut eos qui ad gerendam
Rempubl. olim accessuri sunt, ad huius disciplinæ stu-
dium inuitemus. Prægrauant autem hanc causam
mirifice hoc tempore Doctorculi quidam, qui cū ferē
sint ædosi, tamen Euangelij prætextu tyrannidē ge-
runt, & pro libidine cum humanas, tum diuinas leges
figunt ac refigunt. A quibus si impetrari poterit, ut
nobis dicendi potestati faciant, sunt enim perquam
morosi, docebo breuiter Sacris literis, non modo non
improbare Ciuiles leges, sed præcipi etiam, ut religio-
se, sancte q; colantur, qua laude nulla potest amplior
legib. tribui. Vbi fidem fecero, Ciuilem urbium sta-
tutum, nihil pugnare cū religione, exponam quàm prou-
denter à maiorib. factum sit, quod Romanas leges po-
tissimum delegerunt, quas in constituendis Ciuitatib.
tanquam filum sequerentur, easq; summa cura à no-
bis studioq; conseruandas esse, ostendam.

Quæ malum dementia tandem est, quis furor, falso
Christiani nominis prætextu, Ciuiliū rerum statum
labefacere et cōuellere, quæ barbaries, qui Scythæ iu-
dicia, æqui & iniqui discrimen è medio tollunt. Et
audent

DE LEGIBVS

audent hoc Christo quidam, si superis placet, Christia-
ni Doctores tribuere? Quid est, si hæc non est contu-
melia? qui ex Gentilib. Philosophis in Christum stylo
debacchati sunt. Vnum hoc ferè causificantur, quod
quædam leges parum uideantur aptæ ad Ciuilem con-
suetudinem, societatemq; hominum tuendam. Neq;
censent ullo probro Christi dignitatem grauius lædi
posse. Horum uincunt amentiam nostri, qui in ipso
contemptu publicorum morum, & in eueriendo uni-
uerso Ciuili statu pietatem collocant. Adeo de Christi
nomine superstitio, peius, quàm qui ex professo inse-
ctantur, meretur. Nam cum uim pietatis ignoret, &
pro suo arbitrio sibi Deos somniet, non modo nihilo
rectius de Christo sentit, quàm Ethnici, sed pietatis eti-
am titulum ferè priuatis uitijs prætextit, quo sacrilegio
nihil abominabilius fingi potest. Et quia uetuit Deus
humano artificio imaginem sui fingi, seq; è suo sermo-
ne cognosci uoluit, ubi se nobis uelut in tabula deli-
nauit, petemus & nos è sacris literis, quid de Ciuilib.
legib. diuinus spiritus decreuerit, quas cum cœlesti uo-
ce probare audietis, par fuerit, & cognoscere diligen-
tius & obseruare sanctius. Sese enim contemni Deus
iudicabit, si Ciuiles leges tantopere nobis commenda-
tas uiolauerimus. Sed recenseo locos qui legib. patro-
cinantur, docentq; in rebus publicis iudicia esse con-

B b iij

ORATIO

stituenda, legesq; rationi cōsentaneas de rebus hereticis, de fontiu pœnis, et alijs hoc genus ferri posse.

Primum ius faciunt nobis sacræ literæ, uel Gentilibus, uel Mosaicis legibus in prophanis rebus iudicandis uti. Et cum iudicio amplissimo testimonio ornant, tum *ἡ δὲ τῆς* Mosaicam, & Gentilem iuxta probant. Cum Baptistā milites, haud dubie de genere uitæ consulturi, rogarent, quid à se fieri uellet, nihil hic exegit, nisi ut suis contenti stipendijs, neminem calumniarentur, aut concuterent. Porro cum stipendijs, iudicet esse contentos, publicum munus, quod illis mandatum erat, planè adprobat. Quis nescit autem Magistratū arma, leges & iudicia esse quæ domi uim ac iniuriā à ciuibus prohibent. Quare nō dubiū est, quin tanti leges faciendæ sint, quanti Magistratū Baptista facit. Paulus Magistratū auctoritatē prædicat, cū gladij usum, ordinationē Dei uocat, & Magistratū Dei ministrū. A quo oraculo ex diametro disident, hi qui leges impietatis accusant. Est enim hostis Dei, non minister, quisquis ea suscipit, quæ diuinæ leges uctant. Qui alterius uxori uitium offert, qui res altorū fraude in teruertit, qui peurio fallit, qui bellū cū superis gerit, non minister est, deniq; hostis est, cuiuscunq; functio proprie impia est. Quare cū Paulus Magistratū, Dei ministrū uocat, non hostem, negat eius prouinciam cū religione

DE LEGIBVS

religione pugnare. Contra, qui Magistratus damnant,
semel uno nomine omnes latrones & Dei hostes esse
pronunciant, quod quàm non quadret ad Paulinam
sententiam, perspicuū est. Quid enim tam dissimile
uoluit ille esse latrocinio, quàm Magistratū. Hunc trā
quillitatis publicæ custodem, nuncupat Paulus, cū ge-
rere gladiū scribit, ut bonos honores adficiat. Quod si
latrocinium Magistratus est, custodē honorū qui cedo
adpellabit? Iubet item Paulus piorū uotis Magistratus
Deo cōmendari, ut salua publicam tranquillitatē iuean-
tur. Idemq; exulaturis Iudeis Hieremis præcipit. At
incolumitatē latrocinio precari, nihilo magis fas est,
quàm bene precari lupanaribus. Tam clare discernit
à latrocinio Magistratū scriptura, inter quæ si nihil in-
terest, sceleratus erat Ioseph, cum in Aegypto impera-
ret, scelerati Cornelius & Centurio, cuius fidem Chri-
stus unice prædicat, pleriq; item alij qui Res publicas
& Gentiliū legibus administrarunt. De Iudaicis Regi-
bus nondum dico, quos putant minus posse ad nostra
comparari, sed hos quos recensui quæso patiamini me-
lioris notæ Christianos fuisse, quàm hi sunt, de quorū
moribus posteaquàm publicas leges cōtemnere coepe-
runt, passim male audit Euangeliū. Sed unde tandem
honorifica appellatio? Ecquid præcepit Deus de gla-
dio? Primum minister Dei is est, qui eius iussu facit,

Bb iij

sanctus

ORATIO

quique ex eius se mandato comparat, cui qui auscultat, is non modo nihil peccat, sed, quemadmodum sacre literae docent, sanctum etiam officium facit. Praecipit autem Deus morte mulctari eum qui hominem occiderit, quae lex citra controuersiam totam *πολιτείαν* complectitur. Etenim, ut publicae tranquillitatis causa fas est de capite hominis iudicare, ita et ad rerum diuisionem, ad leuiora negotia transigenda, quando aliter publicae paci consulti non potest, constituere iudicia licuit. Extat lex in Genesi ad Noc, uniuerso mortaliu generi lata, estque confirmata Mosaicis edictis, quae tam etsi solis Hebraeis proposita sunt, tamen arguunt Deum probare morem, cum iudicandi res, tum plectendorum fontium. Nota enim Pauli uox est, Legem iniustus latam esse, quae monet, ut qui spiritu Christi non frenantur, cum Hebraei, tum reliqui mortales, legibus coherceantur, et tanquam carcere septi teneantur, ne quem laedat, ne cuius rebus damnus dent. Eodem impios omnes numero cum Gentes, tum Iudaeos habet, gladioque seu legi ad unum omnes subdit. Suum autem quoddam Christi regnum est, qui cum non in hoc se nobis ostenderit, ut humanam *πολιτείαν* conderet, mundi regnum non labefacit, immo in id extrudit eos, quos a turpitudine non dehortatur pietas, ut uis remoretur. Prodiit Christus, ut coelestibus muneribus, ut immortalitate pauculos quosdam

DE LEGIBVS

quosdam tanquam in alium eductos mundū donaret,
 non ut ciuitates constitueret. Regibus hanc prouin-
 ciam reliquit, tenendam conseruandamq; ocij tuendi
 causa. Ipse in piorum pectora spiritum suum trans-
 fundit, ut diuinitatem cum ijs communicet. Ipse uer-
 bo renouat piorum mentes $\kappa\epsilon\iota\ \mu\epsilon\tau\alpha\ \chi\eta\mu\alpha\ \tau\iota\ \zeta\eta$.
 Nihil hæc ad mundi regnum, quod in componendis
 tantum moribus, in arcenda uiolentia uersatur. Id
 quod non facile tantum fert Christus, sed probat etiã,
 cum $\epsilon\tau$ suos parere iubet, $\epsilon\tau$ ministerium Dei esse fa-
 tetur. Quare qui ad Respubl. accessuri sunt, hos non
 modo non retrahit religio, sed monet etiam pium offi-
 cium facturos, si publica munera recte gesserint, si ius
 candide dixerint. Qui secus docent, cum de prophã-
 nis legibus, tum de Christi nomine male merentur.

At litigare uetat Christus? Quis negat? Iudicare
 uero non uetat. Quantum autem intersit inter iudica-
 re $\epsilon\tau$ litigare, nemo non uidet. Nam ut uiatorem pul-
 sare Deus uetat, non uetat obligare uulnus, si quod is
 forte acceperit, ita quanquam odia mortaliū inter se,
 excretur, mederi tamen tam perniciosus morbis pati-
 tur. Quare uitia damnari patiar, remedium par est,
 ut grato animo complectamur. Furit hic uindictæ cu-
 piditate. Ille res alterius fraude occupat. Quos cū
 in uiam non reuocet pietas, iudicum auctoritate furor

ORATIO

comprimitur. Nihil David, Moses, Solomo peccarunt, quantumuis improbis nebulonibus alicubi ius dixerint. Proinde Christus, ut litigantem ac uindictæ amore ardentem damnet, tamen suas iudicibus partes reliquit, siue ex Gentilibus legibus, siue ex Mosaicis ius dicant. Gentium res publicas administrarunt, Ioseph, Daniel, Naaman, Centurio, qui si flagitium est Rempubl. gerere, uel Gētilibus legibus uti, ordine mouendi sunt. Verum nolo hic longius immorari. Nam & alias accurate hæc excusimus, & pijs mentibus ij loci quos produximus satisfecerint. Tantum reclamant hi, qui nec sacras nec prophanas leges pensi habent. Christus optima fide censum Magistratui numerat, ut exemplum colendarum publicarum legū proderet. Id adeo imitari oportebat eos, qui Christianam libertatem ubiq; foriiter iactant. Et cum diuino suffragio ius publicum comprobatum sit, pietas exigit, ut & diligenter cognoscatur, & religiose colatur & tractetur. Legumlatores ueteres omnes, quo plus auctoritatis suis legibus adderent, Deorum oraculis probatas adseuerabant. Minos fingebatur nouem annorū spacio Iouis usus familiari consuetudine, ab eo constituendæ Reipubl. rationem didicisse. Lycurgum ferunt & ab Apolline Deum appellatum esse, & sua edicta p̄sac̄s uocasse, quod oracula uideri uellet. Numam aiunt

DE LEGIBVS

aiunt simulasse nocturnos cū Egeria congressus. Fint-
gebantur hæc, ut cū diuino iudicio adprobatae leges. ui-
derentur, pluris fierent. Quanto sanctius à nobis ius
publicū coli debet, cum id non cōmenticia oracula, sed
certiss. uoces diuinæ nobis grauis. commendarint.

Porrò cum constet, nihil pugnare cū Cuilib. legib.
religionē, & in rebus prophanis iudicandis fas esse,
uel Gentilib. uel Mosaicis legib. uti, ex postulabimus
aliquāto liberius cū ijs qui publico iuri præter meritū
iniquiores sunt. Nō satis, ita me bene ament Musæ, cō-
stituerē possim, morosi hi mihi uideantur tantum, an
prorsus furere, nam ut illiberale conuiuium esse cense-
mus, qui apud amicū præsentē copiā nauseat, ita qui
præsentēs mores, instituta ac leges temere fastidit, opi-
cus mihi & parū urbanus uidetur. Et cū in omni uita
sapientissimi homines præceperint, cōmunib. morib.
tanq̄ scenæ obsecundandū esse, ualde iniusti sunt, qui
tanq̄ cū rebus humanis bellū gesturi, præter sua, nihil
probant. Sordidos ac plebeios animos serè præsentū
pœnitēt, qui, cū libidine sua, nō ratione omnia metian-
tur, miro quodā nouandi studio tenentur. Neq; ullus
Euripus, ullum fretum tam uarios habet æstus, ac flu-
ctus, quā uarij uulgi motus sunt. Quæcunq; commo-
uerit tempestas, subito firrit, miscetq; omnia. Contra,
generose mentes communib. se moribus attemperāt,

solentq; uticunq; & ubicunq; opus fuerit, obsequi, quemadmodum ille Terentianus pater monet. Iam non simplex rusticitas, sed furor est plane patrios mores, ac patria instituta odisse. Etenim cum patriæ san-ctum quendam amorem omnibus indiderit natura, prorsus oblitui sui uidentur, qui patrias leges tanto pe-re auersantur. Sapientissimus Poeta fingit Vlyssem optare, ut uel summum, de patrijs exorientem focus uideat, hi leges contemnunt, ornamentum patriæ pulcher-rimum, quarum beneficio ipsi & aluntur & seruan-tur, ut ne naturæ quidem plus quam his debeant. Mi-rum ni Vulturio plus est humani, quam huic generi. Ego profecto, quoties defatigatum animum remittere, recreareq; libet, nulla in re suauius, atq; in patriæ re-cordatione acquiesco. Id quod fieri non posset, nisi mirum quendam eius amorem insuisset natura. Vi-deor mihi iam agros peruagari, iam in hortis reptare, iam ad flumē deambulare. Hic naturæ opes, industriā colonorum meorum ciuium tacitus contempro, admi-ror maiorum prudentiam, qui agros, qui oppidum ipsum diligentissime ornarunt & munierunt. Hæc cū animo considero, & propemodum intueor, mediocri-ne me uoluptate perfrui censetis. Me uero cum loci amoenitas per sese delectat, tum quia patriæ nomen ac-cedit, ualde adficior. Nec minus tali patriæ capior, quam

BRET
HEIM

DE LEGIBVS

quàm ille Ithaca, qui quamuis sterilem, & in asperis
 saxis tanquam nidulum adfixam, pluris immorta-
 litate fecit. Et cum tantopere solum ipsum ametur,
 non possum non fauere & legibus, quibus ciuium in-
 ter se studia uoluntatesq; conciliantur & deuinciun-
 tur, quæ domesticam disciplinam, bonos mores, popu-
 larium libertatem tuentur, quæ profecto non minus
 nos quàm lares nostri, delectant. Proinde cum inflam-
 met nos natura, & adsuefecerit consuetudo ad aman-
 dan colendamq; patriam, & ingrati erga benemeren-
 tem, & in penates suos impij, & alieni prorsus ab hu-
 manitate sunt, quibus domesticae leges sordent. Capi-
 tale est magistratū pulsare, hi cū prorsus ex Republ-
 magistratus, iura omnia exterminent, quod nō suppli-
 cium merentur? Nolo hic caussari, frustra eos niti,
 recepta nō posse ferè priuato cuiusquam arbitrio con-
 uelli, Finge rem succedere. Quid erit ciuitatibus no-
 stris calamitosius. Quas, Deum immortalem hæc no-
 uitas dabit turbas? Nam ut sine ualetudinis iactura ne-
 mo uictus rationem mutat, ita nec leges sine publica
 perturbatione mutantur. Nec ad ciuitatum ocium, et
 ad concordiam stabiliendam quidquam perinde con-
 ducit, atq; ueterum legum, morumq; cōseruatio, quod
 cum urbium exempla passim testantur, tum monet au-
 reus ueteris Poeta uersiculus.

ORATIO

Moribus antiquis res stat Romana uirisq;
 Valcant igitur, qui uel adeo inciuiles sunt, ut attempe-
 rare se communib. morib. nolint, uel adeo arrogātes,
 ut rectius se rebus publicis cōsulturos cōfidant, quā
 maiores, uel adeo ferret, ut nullus rerum patriarum
 amor tangat. Et si ita uidetur in *νεφελοκοκκυγία*
 cōmigrent, Senatu populoq; cuculorū imperaturi.
 Quāquā autem hęc abunde magna ratio bono ui-
 ro sit, cur presentes leges amplectatur, quod usu rece-
 ptę sint, & in mores penēq; in naturā nostram uerte-
 rint. Stultū est enim cū publicis morib. dimicare, tamē
 excutiamus rem paulo accuratius, temere ne an con-
 sulto maiores nostri ex scriptis legib. iudicari res ma-
 luerint. Nō nuper in scholis hac de re altercātur, utrū
 satius sit ex scripto iure, an ex Magistratuum arbitrio
 res iudicare. Verū nos nō quod otiosi in scholis litera-
 tores somniant, sed quod prudentib. quiq; probarūt,
 qui Respubl. tenuerunt, sequemur. Nam cū humanę
 prudentię Ciuilia officia religio cōmiserit, & pruden-
 tum exemplis, & cōmuni sensu hanc causam metie-
 mur. Quę fuit autē usq; Respubl. mediocris sine certis
 legib. constituta? Scripto iure usi sunt Aegypti, Creter
 ses, Athenienses, Romani, addo etiam Iudeos. Et Ly-
 curgus, tametsi nullas scripserit leges, certas tamē quas
 dam prodidit, nō tabulis, sed, ut uulgo notiores essent,
 memorię

D E L E G I B V S

memoriae Civitū insculpendas . Quare, ut nihil ijs
patrocinetur, qui hoc tempore scriptum ius tuentur,
defendere eos tot Gentium iudicia facile queant, quibus
quo ore cedo, qua fronte reclamare audebitis? Et haud
scio an hæc ueteribus illis legum latorib. consilij ratio.
Quom libertatis ac tranquillitatis publicæ caussa, con-
ditæ sint Ciuitates, & constituta iudicia, ut in tuto sint
sue cuiq; res & uita, & sub iuris auctoritate, tanquã
sub umbra lateant. Idq; presidium non maiorum in-
dustria, nõ hominũ conspiratio compararit, sed Deus
ostenderit, præstandum est ne ius sit obscurum, incer-
tum aut ambiguum. Quæ est enim iuris uis aut auctori-
tas futura, si subinde uertumni in morẽ uariet? Nemo
fortunas suas uitamq; nõ satis exploratis aut infidis ci-
uicibus tuto cõmitti putat. Porro ubi Magistratum ar-
bitrio sine certis legibus res iudicantur, cum in impe-
ratorum, sepe etiam improborum potestate ius sit, fit
ut per imperitiam sepe Magistratus æqui & iniqui di-
scrimen non perspiciat. Quoties recti species decipit?
quoties iudicio gratia aut maleuolentia officit? Neq;
enim obscurum est, quàm leui momento ab æquitate
mediocrium hominum animi sæpe abstrahantur.
Quid quod ea imperitorũ pertinacia est, ut ad æqui-
tatem flecti non possint, ubi non cogunt leges. Cedo
quid arbitrare sumpturos sibi Germanicos regulos,

ORATIO

nisi leges prohiberent? Qui, si quando iuris species suffragaretur, citius omnia miscerent quam de sententia, de possessione decederent. Nunc cum reclamant leges, deterret à flagitio nonnunquam pudor.

Quotus enim quisque tam cornea fibra est, ut publicam legum uocem, omnium de se iudicium prorsus contemnat? At si nullae obstrepant leges cum licentia ferè deteriores reddat, uideas aperta tyrannide grafsaturos, non aliter atque solebant Athenis triginta illi, qui cum pessimo exemplo iudicia sustulissent, perinde quasi publicam carnificinam exercerent, optimum quemque iugulabant. Itaque quemadmodum in periculis tempestatibus, non solet uentis temere committi nauis, sed gubernator praeficitur, qui arte regat, ita fluctuantes Principum animi, certa lege frenandi, regendi que sunt, ne priuata cupiditates à iure, uelut à portu reiciant. Et cum in cognoscendis causis, saepe non pessimis Magistratibus iuris species imponat, saepe transuersos rapiat ambitio, ne periclitaretur libertas, æqui et iniqui formulas praescribi oportuit, quas in consilium adhiberent ius dicturi. Nam si magistratui potestatem feceris quidquid libet statuendi, Vide inquam nos seruitutem conicias? Iure possessiones adsignauit, si aliud uidebitur, ius erit eripere, quod dictum est, in dictum fuerit, quod modo erat rarum, irritum fuerit.

DE LEGIBVS

fuerit. Quidquid decreuerit, in uento et rapida scribe-
 re oportet aqua, usq; adeo non constabit sibi, & iure
 subinde mutato in aliam se formam $\alpha\theta\omicron\tau\epsilon\omega\varsigma$ more
 uertet. Nō domus, non liberi, non coniunx, quibus ne
 nostra quidē uita nobis carior est, in tuto erunt. Res
 bonae oēs, pietas, humanitas, doctrina, artesq; uniuersae,
 quae otii pacemq; amant, exulabunt. At cū his ui-
 tijs leges medeantur, nec libertatis ullus praetera fide-
 lior sit custos, quid uetat legum beneficio uti? quae Ma-
 gistratibus fiduciarum tantum nostri potestatem fa-
 ciunt, ut ius nostrum, quoties periclitamur repetere li-
 ceat. Aristoteles in ea demum Republ. quae scripto iu-
 re regitur, Deos imperare adfirmat, quod libertatem
 leges tueantur, qua haud scio an haec uita nihil dulcius
 habeat. Quid enim foelicius, quam iniuria metu uaca-
 re, societateq; hominum tuto frui. Proinde ille ne bo-
 no quidem uiro sine legibus Rempubl. mandari pat-
 tur, sed recita uerba.

Verum dicet aliquis maligne me de hominum inge-
 nijs sentire, cum nullius adeo exploratam fidē, ac uir-
 tutem esse duco, cui tuto ciuitas committi possit. Ego
 uero optarim passim imperare Nestoras, uerum uide-
 mus quanta sit optimorum Principum paucitas. Nec
 obscurum est uetus illud dictum, Omnium bonorum
 Principū imagines in uro annulo sculpi posse. Quare

facile patior, in mediocribus, ut sunt ferè, certo iure
 uim regi, & officij sui, si qui sunt imprudentes Magi-
 stratus, admoneri. Hæc mea est ratio, nec sæliciorẽ mi-
 hi Rempub. somnio, quàm qualẽ existerẽ res humane
 finunt. Finge autẽ rerum summã ad Stoicos delatã
 esse, qui nec gratia, nec odio adficiantur, qui falli ne-
 queant, quid ijs facies, qui, ut est uulgi improbitas, ma-
 luit legibus, quàm uel sanctis. Magistratibus credere?
 Est enim quorundam tanta rabies, tantaq; pertina-
 cia, ut æquitate fidẽq; iudicum satisfieri sibi non patia-
 tur, sed cũ summo iure contendant, extremaq; omnia
 experiantur, sæpe infensus cum iudicibus, quàm cum
 aduersario concertent. Hic uero Magistratum aucto-
 ritas periclitabitur, nisi publice receptæ leges defen-
 dant. Adeo nõ modo aduersus tyrannidem, in legibus
 innocentie præsidium est, sed & Magistratib. aduersus
 uulgi importunitatẽ, hic tanq; aheneus quidam murus
 est, deniq; cõmune uinculũ inter se Principũ ac multi-
 tudinis est, ius scriptũ, ad pacem tuendam compara-
 tum. Iam & improbi ciues facilius in fortunas aliorũ
 impetum facient, cũ uel nullæ poenæ certæ absterre-
 bunt, uel ius erit incertũ. Contra, ut ij qui iter faciunt,
 cum uiam indicant Mercuriales statuæ nihil metuant,
 necubi errent. Ita boni ciues cum certum ius proposi-
 tum est, securi degunt, cum docent leges, & quid pro
 se quisq;

DE LEGIBVS

se quisq; præstare debeat, & quid cuiusq; sit propriū, et improbis certum exitium minantur. Cum autem libertas nihil nisi inane uocabulum sit, si bonis securitatem demas, crudele fuerit ius scriptū è medio tollere, si quid ad securitatē in bonorū animis alendā confert.

Accedit huc, quod ut modestis. homines imperent, tamen futurū sit, ut de iure sæpe dissentient, nisi ex certis legibus res iudicentur. Quæ est autē pestis ciuitatibus perniciosior, intestina discordia? Quas hæc urbes non funditus euertit? Quare nulla tam parua res est, quæ modo ad concordiam conseruandā cōducere uideatur, quæ negligenda sit. Sæpe autē ex leuissimis iniurijs, nō secus atq; ex minutissima scintilla, grauissimū incendiū oritur. Non raro & res grauis. in disceptationem ueniunt, ubi si Magistratib. de iure male conuenient, studijs factionibusq; publica tranquillitas turbabitur, dum suæ quæq; pars sententiæ suffragatores, addo etiā uires, publicæ salutis oblita, cōparat. Quæ autē non solitudinē malis, quàm intestinis flagrantem odijs urbem colere? Proinde, cū Hebræos Deus inter se quàm cōiunctissimos esse, rectissimeq; cōsentire uellet, certas leges tulit, ut ex præscripto res iudicaret, ne quādo ius cōtrouersum disidiū pareret. Plerisq; itē alijs ciuitatibus uel principū tyrānis, uel ciuiles discordiæ imposuere legum condendarum necessitatem. Nā

ORATIO

cum inter se Athenis, de iure publico, perpetuo con-
 fluctaretur, tres per id tempus factiones, homines, opti-
 nor, non pessimi, sed male inter se, ut fit in imperio co-
 herentes, eaq; dissensio, morbo ciuitatis ingrauescen-
 te, et gliscentibus odijs uniuersis exitum minaretur,
 Respubl. Soloni mandata est, is leges tulit, quibus li-
 bertatem, & otium urbi restituit. Et cum cerneret has
 unicum esse concordiae uallum, constituit, ut qui ius
 dicerent, conceptis uerbis ius iurandum darent, se ex
 legibus res iudicaturos esse. Qui Magistratuum arbi-
 trio simpliciter omnia committunt, cum Solone, si li-
 bet expostulent, non mecum, qui ad consociandos in-
 ter se ciuium animos tantum facere momentum scri-
 ptas leges existimauit, ut ex suo arbitrio Magistratus
 ius dicere uetuerit, sed recita uisurandū ἡλιαστικόν,
 sic enim Demosthenes uocat. Fuerunt & haec sepe causae
 se cur Romani scripto iure uti maluerint. Nimum si-
 bi principes simebant. Plebs non satis tuto creditam
 optimatibus libertatem existimans, sepe imperium au-
 thoritatemq; detrectabat, de iure sepe dissentiebāt in-
 ter se etiam boni uiri. Haec coegerunt tum plebis teme-
 ritatem, tum Magistratuum uim certis legibus mode-
 rari, suntq; duodecim illae tabulae, fons iuris nostri, pru-
 dentijs hominum iudicio propositae. Id iugum cupide
 uniuersa ciuitas accepit, cum sentiret urbem non diu
 futuram

D
 Senem incolu
 Porro cum
 gerit necessi-
 furor est, apu
 inducere. Ma-
 mines, quibou
 blica mulari
 quod consu
 seruari. At
 reantur, pub
 eniur, obse
 Actum fuer
 nis omnib
 fendatur. N
 pratercitat
 recta ciuib
 mores, mag
 tatum inge
 quiaq; max
 maxime licer
 stringi, ut qu
 tur legum au
 nihil esse u
 rent leges, q
 stituerunt, q

DE LEGIBVS

futuram incolumem, nisi legibus munitetur.

Porro cum ciuitates orbis terrarum Principes, coe-gerit necessitas penè Diomedea leges condere, quis furor est, apud nos iam usu receptas uelle abrogare ac inducere. Magna consuetudinis uis est, quæ mores omnes, quibus assuefacti sumus, sine perturbatione publica mutari non sinit. Quare leges uel hoc nomine, quod consuetudine mos gerendus est, oportuit conseruari. At cum de rebus humanis etiam bene mereantur, publicam tranquillitatem & libertatem tuentur, obsecro non insaniunt, qui refigere iubent? Actum fuerit de religione, de humanitate, de rebus bonis omnibus, nisi cætus hominum iure cogantur ac defendantur. Neq; uero inter cætera legum beneficia hoc prætereundū est, quod de expetendis, fugiendisq; rebus rectas ciuibus opiniones inseruit. Id adeo ad formandos mores, magnum habet momentum. Errant enim mortalium ingenia, nisi certis præceptis regantur, & ut quidq; maxime commodum in presentia uidetur, ita maxime licere putant, oculos mentemq; libido præstringit, ut quod maxime cupimus, sæpe, nisi dehortetur legum auctoritas, optimum esse ducamus. Auarus nihil esse uitij in scænore faciendo existimat. At si ualent leges, quæ sceneratoribus maiorem multam constituerunt, quàm furibus, quis nõ execraretur scænus?

Cc ij

ORATIO

Sunt quos parū pudet mentiri. At cū ex lege. XII. tabularū è saxo Tarpeio deiiciebatur, qui falsum testimonium dixisse conuictus erat, cane pectus et angue mendacium oderat multitudo. Perpetuum otium nunc in lauta iueta parte ponunt. At cū Atticis legibus capitalis esset desidia, grauer audiebat. Furē abominamur, quod in eum grauis animaduertatur, augetque crimen pœnæ atrocitas. Prædonis loco habes eum, qui debitoris rem aut pecuniā usurpat, nisi sponte datam, peperit hanc opinionē lex, quæ pronunciat, uim esse, quoties quis id quod deberi existimat, non per iudicē reposit. Nichil autē cum opinionibus, tum moribus nostris instabilius esset, nisi ex certis legibus cōpararentur. Nam ut nauis cursum ad ea sidera, quæ eodē semper loco circūaguntur, dirigunt, ita par est, ut ad leges, quæ à sapientibus hominibus late, et uirtutis uiam rectiss. indicant, et sui nunquam dissimiles sunt, opiniones nostras exigamus. Sed ut nulla ratio sit, cur scripto iure utamur, certis Romanæ leges merebantur, quas huc importaremus. Quare maiorū nostrorū prudentiam laudo, quod Romanas potissimum leges delegerūt, quas in iure dicendo sequerentur. Et quando hactenus benigne mihi, audiendo operā nauastis, fauete quæso et reliquæ orationi. Exponā enim breuiter, cur tantopere uiuet, à Romanis leges mutuari. *Vetus hic mos est, ab optime con*

DE LEGIBVS

me constitutis urbibus, exempla petere. Nihil puduit Atticos, Aegyptias quasdam leges usu capere, ut Herodotus testatur. Nemo Romanis uitio uertit, quod cum cogeret publica necessitas leges conscribere, in Gratiam legatos misere, qui inde legum formulas adferrent, & de Reipub. instituenda summos in Graecia homines consulere. Id cum & Maiores nostri fecerint, cum Romanae Reipub. instituta ad nos attulerint, quid quaeeso peccauerunt? Quae tandem ars ex liberalioribus illis domi nobis nata est, literas, temporum discrimina, siderum ortus & occasus, Architectonicam, Musicam exteri docuere, sine quarum cognitione, uita plane manca est, in quibus si nihil offendit peregrinitas, quid uetat externis legibus uti? Quis dubitat nostra cultiora esse, & literis & legibus Romanis aduectis, quam fuere prisco illo Barbaro seculo, cum nec ingenuis artibus animi nostrorum priuatim fingerentur, nec publico iure, aut certa disciplina mansuerent. Adhuc praesentium poenitet, ut mutare cum ueterum Barbarie libeat, quae cuiusmodi fuerit, uel ex eo potest aestimari, quod humanis hostijs apud nos litatum est? Eant quos tantopere uetustas delectat, et glandibus etiam uescantur. Iam cum Romani literas nos artes aliasque docuerint, quid fuit cur non illorum leges etiam imitaremur, cum nulla fuerit Respub. quae aut plura nobis, aut illustriora uirtutis humanitatisque exempla,

ORATIO

aut humaniores leges proponere potuerit. Fuit illud omnino unicum uirtutis atq; humanitatis in terris domicilium. Longum fuerit recensere, qui ibi iuxta et in toga & foris, omnium belli, pacisq; artium periti, elari fuere. Noti sunt Camilli, Curij, Fabricij, Fabij, Claudij, Scipiones, Crassi, Iulij, Cicerones, Sciuola. Didicerant hi Respubl. regere, non in umbra, & in ocio, ut Græci, sed in sole ac puluere, usu Magistro, uim, inconstantiam, uariasq; uoluntates uulgi, domi forisq; toties experti, norant quibus artibus in officio retinenda tractandaq; sit multitudo, norant quæ phar maca Ciuitatum morbis conuenirent. Itaq; Virg. cum alias artes alijs Gentibus concedat, Romanis scientiã gerendæ Reipub. tribuit.

Tu regere imperio populos Romane memento
Parcere subiectis & debellare superbos

Porro cum hi qui Musicæ operam daturi sunt, ad nobiliss. se Magistros cõferant, cum pictores optima sibi exempla proponant. Cur non & in gerenda Re= pub. optime constitutæ urbis tum exempla, tum leges usurparemus? Milesias credo aut Sibariticas leges isti ut sunt impuri, nobis ferent, qui Romanas tantopere oderunt. M. Cicero, cū de optimo ciuitatis statu disputat, nõ alias nisi Romanas leges fert, easq; nature maxime omnium consentaneas esse censet, cui si quid credimus

DE LEGIBVS

mus, à natura discedunt, qui à Romanis legibus dissi-
dent. Vernaculo quodam iure Saxones adhuc alicubi
utuntur, in quo quàm multa ex Romanis legibus emen-
data sunt? Quid fuit minus humanum, quàm quod ue-
tuere Saxones, ne nepotibus amisso patre, auita hære-
ditas ueniret? Correcta lex est, in comitijs populorum
Germaniæ, latumq; ut deinceps Romanum ius ex par-
te Saxones sequerentur. Et municipalia passim statu-
ta, quoties æquitas poscit. Sunt enim serè Barbaræ, Ro-
manis legibus emendatur. Adeoq; magno cõsensu ius
Romanum tanquam oraculũ, nationes omnes de æqui-
tate consulunt, sentiuntq; leges & placita omnia ad
hanc regulam exigi debere, & in hoc extare uolunt,
ut in dijudicandis pensitandisq; omnibus quæ in publi-
cis consilijs decernuntur gnomonis uice sit. Tam san-
ctam plurimarum gentium conspirationem reprehèn-
dere, quid aliud est nisi insanire? Et meo iudicio sanè
quàm multum interfuerit Reipubl. ut maxime in foro
apud nos non uersarentur Romanæ leges, in Biblio-
thecis eas adseruari, ut inde gerendæ Reipubl. rationē
æqui & iniqui iustum discrimen peterent, quicunq;
ad publica munera tractanda animum adiecerunt.
Quid enim furiosius est, quàm, quod serè euenit, acce-
dere ad Rempubl. nullis instructos literis, nulla prædi-
tor, neq; humanitatis neq; æquitatis scientia. In scenã

nemo prodit, nisi hystronicā probe meditatus, nemo si-
 dibus ludit, nisi Musicā teneat. Quanto magis oportet
 eos, qui Respub. capeſſunt, qui conſiliū, qui opem in-
 nocentibus pollicentur, honeſtis artibus dedolari an-
 tea, & in ſchola bonarū rerū ſtudio, grauioribus nego-
 tijs præludere. Sunt enim hebetiores ſerè in diſcernen-
 dis rebus cōmunibus quorū iudiciū nulla literæ acue-
 runt, aut cōfirmarunt, & ſeri magis impotentioresq̃;
 quorū pectora manſuetior diſciplina nō molliſt. Belluā
 aliq̃ immāni ſeuitia ex cauca in mediā multitudinē iu-
 res emiſſam eſſe, nō imperare hominē, ſicubi in incul-
 ti imperitiq̃; Magiſtratus poteſtate Rempub. eſſe ui-
 deris. Quare à doctiſ. hominibus de regendis ciuitati-
 bus, de iure, æquo ac bono multa conſcripta ſunt, ut
 uim uirtutis & iuſtitie Principū oculis ſubijcerent.
 Extant Platonis politici libri non pauci, extant eodē
 argumento & Ariſtotelici, depinxit graphice Princi-
 pem Xenophon, quē Scipio ſic amaſſe fertur, ut nunq̃
 de manu poneret. Fateor de rebus humanis iſtos bene
 meritos eſſe, et multa utiliter monuiſſe, dignoſq̃; duco
 eſſe, qui in manibus, in ſinu geſtentur ab oībus apud
 quos in pretio uirtus eſt, uerū neſcio quo modo mihi
 adumbrāſſe magis, quā uiuis coloribus expreſſiſſe
 Respub. uidentur, dum à communi conſuetudine, &
 ciuilibus moribus longius recedunt, et pro ſuo quiſq̃;
 ſtomacho

DE LEGIBVS

Stomacho ciuitatē sibi somniat. Plato, ut cetera omit-
tam, mulieres etiā militare iubet, Aristoteles dubitat
an oppida manibus cingenda sint. Ad hæc frigidis ar-
gutijs ferē immodice delectantur. Socrates apud Pla-
tonem ex iustitia $\chi\lambda\epsilon\pi\iota\kappa\omega$ facit. Aristoteles par-
tim in Geometricis proportionibus, partim in Arith-
meticis consistere iustitiam scribit. Laus ingenij peti-
tur his parergis, ad rem nō ita multū faciunt. Abso-
lutam uero ciuitatis effigiē est cernere in his legibus,
quæ non in scholis natæ sunt, sed in curia, in foro,
ut bonis profugium, & portus, & aduersum im-
probos teli uice essent. Ut offendunt Muni nisi pro-
xime representent quos imitari instiuere, ita &
leges parum probamus, à communi captu remo-
tiores. Quare hoc mihi planè persuasi, utiliorem
esse Romanarū legum cognitionem ijs qui Respubl-
gerunt, quàm Philosophicarum in hoc genere di-
sputationum. Grauius, ciuilitus, & humanitus
omnia constituta sunt à legum auctoribus, idq; res
cogebat. Erant enim ad ciuilem hominum consue-
tudinem leges accommodandæ, non aliter atque
pharmacum attemperari oportet ægri corporis na-
turæ ac uiribus, Philosophi sibi in scholis quædam
libere permisere, quæ in gerendis rebus publicis non
fuerit consultum sequi. Sunt quædam in Europa

ORATIO

gentes, quæ non iudicant res ex Romanis legibus, sed uernaculis. Et tamen qui ibi Respub. gesturi sunt, ferè Romanas leges apud exteros discunt, qui, ut accipio, interrogati, quid, cum nostrarum legum non sit apud eos usus, in eis cognoscendis tantum operæ ponant, Respondere solent, animam se spiritumq; legum, sic enim loquuntur, excipere, hoc est, æquitatis uim ac naturam hinc decerpere, ut de patrijs legibus rectius iudicent. Laudo prudentijs. uocem, quæ significant omnia rectius perspexisse summos illos uiros nostri iuris auctores, & neminem satis instructum esse ad ciuitatem regendam, qui non in his cognoscendis tyrocinium fecerit. Quid quod in his iureconsultorum literis bona pars antiquitatis reliqua est. Veteres mores, sermonis Rom. pleræq; figuræ, quas nisi hi explicarent, in alijs scriptoribus nonnunquam non aliter atq; in luto hæreremus, nec intelligi optimorū auctorum pleriq; insignes loci possent. Quod si historia, si aliæ ueterū literæ nobis, ut debent, curæ sunt, cum his passim lucem adferant iureconsult. uel à Grammaticis et Rheto-ribus eorum commentarios adseruari oporteret. Itaq; nisi simul omnibus literis bellum indicemus, & plane in belluas degenerare iuuabit, non permittendum est, ut sit ac senio Rom. leges emoriantur. Quosdam nobilium urbium picture, quosdam marmora, quosdam statuæ

DE LEGIBVS

statuae delectant, eaq; summa cura conseruant. Quae, malum, Barbaries est, leges, plusq; aureum pulcherri-
mae urbis monumentum, & germanam e. i. v. o. v. e. obli-
terare? Quidam clarorum hominum sententijs unice
capiuntur, parietibus inscribunt, annulis insculpunt,
illinunt omnibus chartis, siqua insigniter placuit. In
his uoluminibus tot extant gnomae, quot leges, eruit
ex intimis sapientiae penetrabilibus, ex doctiss. Poetarū,
Oratorum, & Philosophorum monumentis, & reci-
tant doctiss. rerum humanarum omnium imperato-
res & Iurisconsul. nostrorum rabularum dissimilio-
res, quam sunt Chiorum in talis Coi, sed instructi lite-
ris, usu Reipubl. domi forisq; gerendae exercitati, uel
tantorum uiroꝝ memoriae hic honos debetur, ut tanq;
exuias eorum scripta, conseruemus. Quod cum sum-
ma cura Maiores nostri praestiterint, aequius est illorū
nos exemplū imitari, quam ijs obsequi, qui nō modo
legibus male propitij sunt, sed prorsus, neq; ius, neq;
bonū, atq; aequum sciunt, Melius peius, proffit, obfit,
nihil uident, nisi quod libet.

Poscit hic locus, posteaquam sententiam de legib-
nostram exposuimus, aduersariorum calumnias refu-
tare, quae quia leuiuscilae, & penē ridiculae sunt, pau-
cis à me perstringentur. Mutila, inquam, legū Rha-
psodiae sunt. Publica ea calamitas est, quam insectari

ORATIO

minime conuenit, miserescere erat humanius. Optarent autē boni omnes, si quid uotis proficitur, integra ueterū iure consul. uolumina extare. Verum cum hæc tantum fragmenta, fortuna nobis reliqua fecerit, impium fuerit, uelut ex naufragio receptis hospitibus, ut non inuidere, præsertim, nō malis. Nam qui hæc conseruauerunt, integras tamen sententias nobis, & legū capita, quantum satis erat, tradiderunt. De singulis casibus anxie superstitiosq; constituere nihil refert, satis est genera rerum & cōmunes quasdam formulas, quæ admodum in alijs sit artibus, cōcipere, quibus similia inter se facta metiamur, ne, si res in immensum crescat, nemo consequi possit. Deinde in legibus omnibus res cogit breuitatem adfectare, ut animis facilius infigi possint tanquam breuia ἀπερὶστα.

Sed ogganniunt aduersarij, obruta esse omnia & cōspurcata sordidis interpretum commentarijs. Ego uero Roma. legibus patrocinator, non neotericis interpretibus, quorū, si prodesse uoluere, laudandus est conatus, & tamen quicquid isthic utij est, id uniuersum semel imputo inscitie humanitatis et elegantium literarū, quibus qui non sunt perpoliti, hi nihilo ad tractandas grauiores disciplinas, magis adpositi sunt, quam ad lyrā Asinus. Primum enim cū Ro. sermone cōscriptæ sint leges, quomodo in eis uersabitur, qui linguæ figuræ ac

DE LEGIBVS

ris ac uim non tenet. Iam, etiamsi scythicus legū sermo
 esset, tamen pinguius iudicant, docent obscurius, &
 imprudētius, quacunq; de re dicere instituunt, dant si
 ne mente sonū, quotquot dicendi artes non attigere.
 Magna uis est in humaniorū literarū studio, quam ani
 mo rectius cernere, quā oratione depingere possu=
 mus. Et exempla superioris etatis cōmonent, quid sa=
 piant, quotam mentis unciā reliquā habeant, ij
 qui ab istis artibus alieni sunt. Vides quā inapte tra=
 diderint suas artes Philosophi, quanto conatu, quan=
 tas nugās docuerint. Nihilō saniores Iureconsul. fuere
 qui disputarunt de Lazaro, ualuerit ne testamentū, po=
 steaquā is reuixit, & hoc genus innumera. Solebat
 apud nos doctus quispiam homo istorū ineptias festi=
 uo cōmento ridere. Nō procul oppido quodam diebat
 ad flumen, pistrinum, ex quo cum non ita multo ante
 aquatum asinus descendisset, cum in extrema ripa seu
 lutulenta seu tenuior aqua flueret, quam ut os imbue=
 re possset, in proximā cymbam forte pergit, unde ube=
 riorē iustu annis aquam hauriret. Porro cum inscen=
 disse nauiculam, impetu detorquet à ripa in mediū
 flumen, quo cum esset excepta, secundis uentis in sco=
 pulum defertur. Hic postquā impedit, fracta est,
 & imperitus ille Nauclerus in undis periit. Doluit
 molitori, ubi rem rescuiuit, iactura, & piscatorem

116

ORATIO

in ius uocat, damnum dedisse accusat, quod eius nauigio iumentum auectum sit. Contra ille factam ab asino pauperiem, seque damnū accepisse exclamat, quod nauigium amiserit, in flumen ab asino impulsus. Vtrinq; acerrime à conductitijs rabulis certatum est. Iudici causa uisa est intricatior, quàm ut liceret non consultis iuris professoribus, pronunciare. Deferunt ad leguleios. His uero negotium mirum factum est, dum pro se quisq; uindicare asinum contendit, disputationes uarias instruunt, rixantur de asino in scholis & conciliabilis pertinactius, opinor, quàm Græcus ille de asini umbra, & haud scio, an nondum etiam de summa rei decreuerint. Obsecro non insanire tibi uideantur, si qui se in tam ridicula causa diu torqueant? Verum, mihi crede, istorum disputationes futiliores sunt hac molitoris contentione. Quotus enim quisq; de communibus rebus ciuilitur, & ex communi sensu iudicat? Ingenua in stultis formulariorum literis obbrutuerunt, hasq; in scholis & foro non aliter atq; suas epodas Magi non intellectas recensent. Nihil hic de Grammaticis, et puerilibus erratis, de Barb. ar. sermone queror, quam præscriptione tuentur, iudicij inopiam accuso, qua fit, ut nec ius nec fas in plerisq; causis cernant. Aduersus eam pestem, dicendi artium studio mens præmunienda est, perinde atq; aduersus Circes uenena

uena, Vly
 siquid iuris
 uestrum est,
 repurgare,
 & squalore
 ere. Id huius
 lemeritas
 Sed au
 los queri
 tijs emen
 dicere, ta
 alienis oc
 riq; boni
 adferunt
 doctiss
 dare, ut ex
 dicit, for
 foram uer
 docti serē, q
 garbus pr
 ut quisq; est
 quæstus
 reliqui om
 At, auct
 ipsi & nim

DE LEGIBVS

uenena, Vlyfsem moly herba Mercurius præmuniſt.
 Si quid uris interpretes inſcitia literarum peccarunt,
 ueſtrum eſt, ueſtrum inquam honeſtiſſ. prouinciam
 repurgare, & exploſis indoctis commentarijs à ſitu
 & ſqualore leges adferere, & germano nitore reſtitu
 ere. Id humanius eſt, quàm leges ipſas neutiſquam ma
 le meritas de nobis, obliterare.

Sed audio etiam de profeſſorum moribus, nõnnul
 los queri. Primum optarim hos cenſores in ſuis ui
 tijs emendandis, nolo enim nunc quidquàm acerbius
 dicere, tam eſſe acres, quàm ſunt in reprehendendis
 alienis oculati. Deinde cum ſint in hoc ordine ple
 riq; boni uiri, iniquum eſt legibus imputare, ſi quid
 adferunt uitij profeſſores. Iam ego ob hanc cauſſam
 doctiſſ. & optimos quoſq; cupio legib. diſcèdis operã
 dare, ut extruſis ueteratoribus & ſycophantiſ illis, iu
 dicia, forumq; redeant aliquando in bonorum ac do
 ctorum uirorum poteſtatem. Modo res iudicant, in
 docti ferè, qui ne nihil ſapiant, Vnum aliquem ex uul
 garibus pragmaticis in conſilium adhibent, in quibus
 ut quiſq; eſt indoctiſſimus, ita eſt audaciſſimus & ne
 quiſſimus. Huius uident oculis, huius audiunt auribus
 reliqui omnes, quod hic ſomnariùt, reliqui decernunt,
 Aut, aiunt, Negat, negat. Capita ſunt ſine linguis, ius
 ipſi & uim æquitatis ignorant. Leguleius ille, nari

ORATIO

bus omnes tanquam bubulos trahit. In tanto iudicū
 ueterno irrepunt in forum & uaniss. rabulae, caussas
 acturi, qui, quando is quæstus est uberrimus, ex litibus
 lites serunt, clientes deglubunt, Respubl. depeculan-
 tur, indoctum iudicem nouis subinde technis ludificā-
 tur. Non possum adduct, ut credam Athenis unquam
 scycphantas, qui sic dicebantur, ullos nostris impu-
 dentiores, nequioresue fuisse. Ausim & hæc uita in-
 scitiæ elegantium literarū imputare, quarum qui sunt
 imperiti, nescio quibus artibus ad honestatem flecti
 possint, quando uim uirtutis, nullæ aliæ literæ perinde
 oculis nostris subieccere, atq; hæc quæ humaniores re-
 ctiss. uocantur. Et cum ne leges quidem ipsas attingant
 isti, tantum ex uersutorum quorundam formulis
 sapiant, ne possunt quidem contagione pestilentissim-
 arum literarum non infici.

Proinde cum nulla meliore disciplina animi ad uir-
 tutem adsuefacti sint, nihil pudet in quæstu ius habe-
 re, uitare leges, detorqueri malitiosis interpretationi-
 bus, in quam uolunt partē. Solonem refert Demosthe-
 nes, cum reum ageret quendam perniciosæ legis au-
 ctorem, dixisse, cum capitale sit nomisma adulterare,
 morte mulctandos esse etiam eos, qui leges uitiant.
 Propterea quod ut in priuatis commertijs ac contracti-
 bus nomismate utimur, ita publicis commertijs & ne
 gotijs

D
 gior leges esse
 man corred
 te impudenti
 dolus. Id ad
 dent, literis
 imponere ne
 teresi, ut op
 discant, ut
 est, recte g
 demis cum
 gistrum in
 boni sint,
 tamen ser
 doctiores
 Dixi de
 pus, sed or
 nolebant. I
 tur, adhorre
 uocari se ma
 dicit adprob
 etiam
 dent, aut re
 duere per
 quam Deu
 suum obe

DE LEGIBVS

gotijs leges esse nomismatis uice. Recte Solon. Atq;
 uitam eò redeat res, ut & in nostris iudicijs petulan-
 tia, impudentiaq; rabularum coherceatur, mulctetur
 dolus. Id adeo fiet, ubi ad Rempubl. boni uiri adce-
 dent, literis & cognitione iuris instructi, quibus isti
 imponere nec ausint, nec possint. Itaq; Reipubl. in-
 terest, ut optimi quiq; & uirtutis amantissimi ius per
 discant, ut siquando publicum munus tractandum
 est, recte gerendæ prouinciæ artes teneant. Vi-
 demus enim quos ludos Rebus publicis ubiq; Ma-
 gistratus imperiti & indocti reddant, quos, ut
 boni sint, necesse est multa incultos peccare, &
 tamen ferè ita fit, ut deteriores sint, quo sunt in-
 doctiores.

Dixi de legibus longius fortasse, quàm ferebat tem-
 pus, sed omnino parcius, quàm & res poscit, & ego
 uolebam. Reliquum est, ut eos qui in legibus uersan-
 tur, adhorter, ut strenue pergant, nec è medio cursu re-
 uocari se indoctorum uocibus patiantur. Nam cū iu-
 dicia adprobet religio, non modo nō impium, sed san-
 ctum etiam officium faciunt, qui rite de iure respon-
 dent, aut res iudicant. Pleriq; posteaquàm hanc in-
 duere persuasionem, uersari se in re prophana, &
 quam Deus nihil moretur, minore fide, curaq; munus
 suum obeunt. Hos meminisse uolo, Deum & iuris

Dd ij

ORATIO

auctorem esse, & iudicem futurum. Libra & pondus, inquit Solomon, iudicia Dei sunt. Quare si quid iniquum statueris, non hominū tantū mores uolari credas, sed Deū, à quo iudicia constituta sunt, offendi sentias. Non hominis, ait optimus Princeps Iosaphat, exercetis iudiciū, sed Dei, adest spectator & arbiter consiliorū uestrorū Deus, Sit timor Domini uobiscū, accurate rem gerite. Hoc uero diuinus spiritus oraculum non illi tantū seculo, sed omnibus qui ubiq; ius dicunt, prodidit. Nulla sanctior in terris functio est, quā διονομοία ecclesiastica. Huic proxima est, ius dicere, quam si recte gesseris, nemo Monachus, nemo Heremita, superiore est apud Deum loco. Prophanū munus est, sed quod non minus religiose tractari oportet, quā ad aram accedendum est sacrū facturis. Imò hic uere sacrum facis, cum publicā tranquillitati ac paci operā nauas. Quo pluris autē hoc officij Deus facit, eo sunt execrabiliores, qui publicā in foro Sycophanticam exercent, bonorū extortores, legum contortores, qui uel ob hanc causam ferendi non erant, quod à ciuitatibus horum flagitia Deum nō raro abalienent, grauitè succensentē constupratis iudicijs. Porro cum non disideant cum pietate leges, & usu receptæ sint, nihil moremur eos, qui se insectandis ciuilibus moribus ad uulgus uenditant. Nam sine publica calamitate
receptas

DE LEGIBVS

receptas leges, mutari non posse, & res docet, & sapientissimi quique monuerunt. Extabat apud Locros in bene constituta ciuitate, ea de re lex, ut quisquis aduersus receptas leges rogationem ferret, is eam inserto in laqueum collo suaderet, quae si uidebatur e Republicae esse, saluus euadebat auctor, strangulabatur autem, constricto laqueo, ubi oratio dupliciisset. Neque dubium est, quin id ita constitutum sit, ne temere inducerentur usu confirmatae, probataeque maiorum iudicio leges. Et Athenis νομοφύλακας erant, qui apud praefectos in omnibus publicis concilijs, candidis fascijs coronati adsidebant, ut prohiberent, ne quid contra receptas leges decerneretur. Denique, ut quaeque ciuitas optime constituta fuit, ita minime passa est leges antiquari. Proinde nos quoque publicum ius diligenter tuamur, praesertim cum Romae natum sit, in Principe orbis terrarum Republicae in prudentibus et doctis hominum concilijs, quorum non modo literae nos aequi et iniqui discrimen docent, sed exempla etiam et res praecclare gestae, ad

uirtutis studium adhortantur.

D I X I.

Dd ij

ORATIO
DE GRADIBUS
ORATIO
PHIL. MEL.



NOTVSESTENNI
uersiculus de ueteribus mo-
ribus conseruandis. Mo-
ribus antiquis res stat Roma
na uirisq; Idem profecto
in re literaria prestiterit ser-
uari in faciendis gradibus di-
scientiarum, qui non medioeri prudentia à maioribus in-
stituti, nunc errore quodam hominum, qui uidentur cõ-
spirasse ad abolendos semel omnes ueteres mores, de-
lendamq; uniuersam ciuilem disciplinam, antiquantur.
Neq; ego nunc suggestum conscendi digladiaturus cõ
eo genere, tantum adoloscens commonesfacere de-
creui, quo consilio & olim gradus instituti sint, &
quantum ad communia studia literarum momenti ad-
ferret illorum conseruatio. Est autem ad eam causam
opus mihi equitate uestra auditores, plerosq; enim
tantum fastidium cœpit istius moris, ut tantam non to-
tam anticypriam putent destinandã esse his, qui titulos
istos graduum decerni sibi postulant. Ab his pro meo
iure peto,

DE GRADIBVS

in re peto, ne nos ex hac schola exhibent, ne explodant, priusquam orationem nostram cognouerint. Nam pronuciare, cum nondum cognoueris causam, id uero est iniusti & Barbari iudicis. Et ego me sanis omnibus satisfacturum esse in hoc negotio recipio.

Est quædam in puerilibus ingenijs infantia & imbecillitas, quæ non sufficit pluribus artibus simul discendis, sed sensim per gradus quosdam, ad grauiores artes traducendi sunt pueri, dum ad fastigium artium peruenierint, hoc est, dum parauerint sibi scientiã nõ stulte de rebus humanis iudicandi, & mediocrem quãdam sermonis copiam, ad docendos alios, demonstrandamq; uim, naturamq; uirtutis. Et quemadmodum nõ statim cibus durioribus ora infantium satis firma sunt, sed lacte diu aluntur, postea præmanso cibo, donec grandescant. Ita pinguis, quæq; facillimaq; deliguntur, quæ infirmæ primum ætati tradantur, deinde ordine disciplinæ reliquæ. Itaq; prudentes uiri in scholis, descripserunt classes quasdam puerorum, ut secundum ingenij uires alij alijs disciplinis adhiberentur. Et in sua quisq; classe, tanquam intra septa detineretur, ne imparatus, & tanquam sus in rosas irrueret ad obscuriores artes. In hunc modum gradus quidam facti sunt adolescentium, ut primum Grammatica, Dialecticæq; traderentur, quæ primæ artes, planissimæq; sunt. Vbi

D d üij

O R A T I O

uidebantur has perdidicisse, non temere ipsi ad Physicam, aut alias artes irrumpebant. Sed præceptores explorabant vires adolescentiũ, qui si probarentur, ad mittebãt ad reliquas disciplinas. Nuper adhuc hoc seruabatur in scholis, ne quis attingeret Physicam, aut Mathematica, nisi antea in Grammaticis & Dialecticis diu multumq; uersatus. Postea præceptorum iudicio tradebatur ulterius, & primus ille gradus à Lauri bacca nomen habuit. Erant enim honesto titulo pueri ornandi. Postea Physicam, Mathematica, Ethica percipiebant, nec salutabantur hæc à limine tantum, diu immorabatur iuuentus, dum penitus cognosceret, dũ longo usu iudiciũ confirmaretur. In his tanq; prælatijs grauiorum disciplinarum cum iam satis uideretur exercitati, præceptores permittebãt, ut sacra, aut Medicinam, aut Ius publicum attingerent, ad quas disciplinas usum pueriliũ literarum magnũ & acerrimũ iudicium uolebant adferri. Itaq; prius explorabantur hic etiã vires adolescentiũ, Magisteriũ fecerunt Classi titulum. Profecto plurimũ refert, quomodo instruantur, præparẽturq; ad seueriores disciplinas adulescentes. Non sunt longe petenda exempla, nostri seculi morem uideamus. Statim ubi in publicã scholã missi fuerint adulescentes, putãt sordidi ingenij esse, diu hære in Grammaticis, aut similibus nugis, properant alij ad sacra

DE GRADIBVS

ad sacra, nulla linguarum, nulla dicendi scientia antea
 parta, nulla humaniorū ac ciuiliū morum cognitio=
 ne, discunt inepte rixari de sacris rebus, nec ad uitæ
 usum comparant. Volo ego quidem omnium ætatū om=
 nium uitæ partium esse religionis studium, sed ea pro
 ponantur pueris, quæ assequi possint, quæ pietatem
 alant, quæ mores forment, non unde petant rixandi
 materiam. Quid de alijs professionibus dicam. In
 iure discendo uideas uersari, qui nullum profusus usum
 aliarū literarū habent, cum tamen illud ipsum ius ex
 Philosophorum, ac Rhetorū literis, tanquam ex fonte
 ortū sit. Iatricæ uero manus admouere, nisi Physicē
 didiceris, est sine pennis uolare. Nam clinica illa medi=
 cina tota ex ea Philosophiæ parte nata est, quæ elemē=
 torum cognitionē, motus uarietate, corporum naturā
 tradit. Porrò dum hoc modo non perpoliti puerili do=
 ctrina irruūt ad seueriores artes, infirmo iudicio literæ
 omnes, artesq; sæde conspurcantur. Et quia ex lite=
 ris rerum publicarū status cōparantur, sit, cū parum
 sani pro contionibus & in iudicijs regnū gerant, ut
 uarie quassentur Respubl. Profecto satius erat nullas
 literas attingere, quàm hoc mō tractare. Diu erāt pue=
 ri Grammaticis, Dialecticis, ac Rhetoricis alligandi.
 Multū temporis postea collocandū erat in Mathema=
 ta, & reliquam Philosophiā. Vbi maturuisset iudiciū,

ORATIO

tum erant adhibendi ad eas artes, quibus Respubl. gubernantur.

Græci agricolæ, cum uiderēt maturefcere segetes certo tantum temporis spacio, non colonorum opere, aut soli natura, dixerunt: Annus producit, nō ager. Cūq; animaduertissent sæpe immaturas segetes de me ti magno damno, & fructū laboris superioris perire, prouentum uniuersum soli temporī tribuere, et patienter expectari uoluerunt iustum mēsis tempus. Ita mihi in singulis partibus literarum temporis habenda ratio uidetur, ut & admoueantur ad eas artes adolefcētes, quibus ingenij infirmitas adsequēdis par est, & tantisper detineantur in his, donec maturuerit iudicium, nec messē properent facere ante tempus. Et quia facile iuuenilibus animis obrepit sacietas præsentis studij, ut in eo detineri diu sine magno negotio non possint, ideo gradibus tanquā caueæ includendi uidentur. Vbi omnibus animi uiribus cogantur in unum aliquod, ac certum negotium, quantum satis est, incubere. Est omnino, ut de alijs omnibus rebus utiliter præceptum, Ἐπειὸς ἀρετῆς. Ita in studijs non aliud perinde refert, quā ne intempestiue properemus. Nunc fit, ut cum uarias disciplinas peruagentur sine ordine, sineq; ratione nullāpenitus cognoscant, nullaq; de re prudenter iudicare queant. Et ut erroneos
nullos

DE GRADIBVS

illos certos lares habent, nusquam domi sunt, & ut
 inquit Martialis, Quisquis ubiq; habitat, maxime nus-
 quam habitat. Ita illi, cum tamen omnibus disciplinis
 sint hospites, nullam habent familiariter notam.
 Neq; enim fieri potest, quemadmodum reliquit scri-
 ptū Xenophon, ut qui multa simul facit, omnia rite
 faciat, nec sufficit animus iuuenilis uarijs ac diuersis
 studijs. Hoc in cōsilio fuit autoribus graduum in scho-
 lis. Neq; ego nunc quenquam esse puto tam impuden-
 tem, qui hanc rationem damnare ausit. Quid enim
 in studijs cōducibilis est ordine, hunc clastibus gradi-
 busq; factis cōseruare conabātur? Vos etiā adolescen-
 tes adhortor, ut quāta fide potest fieri, ac religione, de-
 tis operam, ut in discendo iusto quodam ordine utami-
 ni. Nam hac confusanea discendi ratione, nisi

Deus aliquis opem tulerit, accisis re-

bus uereor, ne res huma-

nae funditus euer-

tantur.

D I X I.

DE GRADIBVS
PRAEFATIO

IN AESCHINIS ET DEMOSTHENIS ORATIONES,

PHIL. MELAN.



NON IGNORO EQVIDEM, quantum onus subeam, quanq; ancipitem ac difficilē rem suscipiam, cum interpretationem harum orationum AEschinis ac Demosthenis pollicor. Neq; enim medio cris est ingenij prudentissimorum oratorum consilia, uirtutesq; in oratione perspicere, nec uulgaris artificis, diuinas illorum sententias, latinis uerbis representare, & tanquā imaginem aliquam graecae orationis exhibere. Quid quod causam ipsam sine graecarum historiarum cognitione, sine scientia legum & morum Atticorum, ne adsequi quidem possis. Nos uero praeter ceteras difficultates mira inopia cōmentariorum etiam laboramus. Accedit huc, quod in alijs artibus ac literis, tractatione & studijs hominum, multa è tenebris eruta lucem acceperunt. Graeca qui ex

DE GRADIBVS

qui excolerent & illustrarent, defuerunt haftenus in hac natione. Quae cum apud me cogito, sentio equidem, in quod me discrimen conijciam, cum summorum oratorum laudatissimas conciones propono. Nolo autem longiore oratione temeritatem excusare, aut de mearum uirium imbecillitate ambiciosius dicere. De animo ac uoluntate uere praedicare possum, me semper hoc spectasse, ut in hac schola studia honestarum artium excitarem. Neque nunc ob aliam causam has orationes proposui, quam ut iuuentutem ad optimos actores & magistros, tum intelligendi, tum dicendi cognoscendos inuitarem. Neque uero alienum uidebatur, tanquam gustum illorum facturis proponere eas orationes, quae doctorum omnium consensu, omnibus in hoc genere scriptis praeferruntur, et tametsi pleraque nos fugiant, tamen possumus plurima decerpere quibus studia nostra locupletentur. Notus est uersiculus. Est quodam prodire tenus si non datur ultra. Proinde spero me non difficulter a bonis uiris ueniam impetraturum esse, quod maus aliquanto negocium suscipio, quam haec nostrae utriculae uideantur laturae. Neque enim infirmitatem meam dissimulo. Et tamen operam dabo, ut hanc cura, diligentia, & fide, quae in primis in interprete requiritur, sarciam. Sed de meo consilio dicendum est parcius, quod de

IO
T DE
NES,

RO EQUI
onus fibe
m ac affi
um inter
orationum
emosthen
nim medio
m consilia,
aris artifi
is reprae
eae ora
n sine gra
legum &
offis. Nos
pta comen
c, quod in
udis homi
cre. Graui
gita

ORATIO

eo postea ex euentu iudicaturi sitis. Nunc officij sui cōmonendi sunt auditores. nam ut prudentes agricolae non sumunt operam in exercendo sterili solo, ita in tractatione literarum insania est, attingere auctorem, qui nostris studijs nihil sceneret. Primum itaq; constituendum est, quaecunq; ratio studiorum suscepta fuerit, quem fructum nobis polliceantur literae. Ego uero saepe alijs monui, ita institucendum esse animum, ut duas has uirtutes, scientiam iudicandi de rebus humanis, & facultatem dicendi, meminerit sibi omnibus neruis parandas esse. Et ad has tanq̄ ad scopum oportet referre uigilias, lucubrationes, deniq; studia omnia. Nam qui aut non formarunt iudicium literis, ut intelligant rerum ac morum discrimina, quaeq; in bonis, quae in malis ducenda sint, aut non possunt ea quae sentiunt perspicuo sermone docere, hi mihi praeter corporis speciem, nihil humani habere uidentur. Deinde ita inter se coniurarunt Eruditio, & Eloquentia, ut diuellere nullo modo possis. Nam & orationem rerum scientia ex se ueluti genuit, & oratio uehissimè ostendit. Iam caecitare in rebus iudicandis necesse est eos, qui recte dicendi cura uacant. Propterea quod nihil perinde mentem acuit, & excitat, atq; contētio illa & studium recte dicendi. Non est quod procul exempla petas. Nuper adeo qui Philosophiam

DE GRADIBVS

lofophiam profitebantur, non satis perſpexerunt uim
 earum artium quas docebant, quia exponere perſpi-
 cua oratione ea quæ profitebantur nemo conabatur.
 Proinde qui ſe ad literas diſcendas contulerunt, hi ſibi
 perſuadeant, & oleum, quod aiunt, & operam ſi-
 bi perituram eſſe, niſi cum rerum ſcientia ſtudium di-
 cendi coniunxerint. Atq; hac de re alias diximus.
 Porro harum orationum cognitio ad utruq; multum
 conducit. Nam ut Philoſophi præcepta de moribus
 tradidere, ita hæ orationes bonorum ac malorum ci-
 uium exempla proponunt, quæ multo efficacius uir-
 tutis ſtudium nobis commendant, quàm frigida illæ
 præceptiuncule. Scipionem & pleroſq; alios illu-
 ſtres uiros, ait Saluſtius, dicere ſolitos, cū imagines
 maiorum intuerentur, uehementiſs. animum ſibi ad
 uirtutem accendi. Quæ autem bone Deus marmora,
 quæ ſtatue conferre cum his orationibus merentur,
 quæ alias improborum ciuium pernicioſa conſilia,
 alias honeſtas uoluntates bonorum ciuium ita depin-
 gunt exprimuntq; ut nullius faciem imitari propius
 Apelles potuerit, quare ita ſtatuetis de his duabus
 orationibus, abſolutiſs. quædam exempla, in illuſtri
 ſita loco, nobis oſtendi, quæ communeſciant, quid
 in communibus moribus mereatur laudem, aut repre-
 henſionem. Nam in inſectando Demoſthene, uerana

2 V O R A T I O

quandam imaginē sceleratae mentis fingit Aeschines. Contra ille, cum uoluntatem optimi ciuis negat sibi de fuisse unquam, boni uiri simulachrū sculperē uidetur. Explicantur praeterea multa maiorum instituta, leges ac mores, multa exēpla, quae sunt obiter caussae aspersa, in his orationibus inuenies. Est enim sonus forensis huius dictionis, classico similis, & plenior aliquanto, quam historiae. Deniq; mihi uidentur omnes Reipublicae rationes melius hic tradi, quam in ullis Philo sophorū disputationibus. Et cum historiam nemo non hoc nomine plurimi faciat, quod omnium ciuiliū officiorum exempla tradat, quid huic orationum generi tribuemus, in quo exempla illa & consilia rerum gerendarum accuratius & copiosius. Nam cum ad pugnam hic instruat oratio, fit, ut maiore negotio illustrentur omnia recte aut secus facta. Neq; uero praesentes tantum auditores spectabant, sed ad posteros extare has orationes uoluerunt testes suorū consiliorū, reliqueruntq; haec, ut haberent posteri non modo, ut ait Thucydides ἀγωνισματα, sed κτήματα, hoc est, Thesaurum exemplorum. Quid autem de eloquentia horum dicam. Nam haec praecipua laus est harum orationum. Equidem insaniam, si meo testimonio, mea q; uoce, accedere aliquid illorum laudibus existimē. Quare praerogatio Ciceronis contenti erimus, qui cum

IN AE
quam AE
na in Dem
esse iudicat
fit. Locos n
eloquentia
ram statu
bris suis
uenistas
suo queq;
tiones oc
tiolas qu
estimetu
uersam
quibus u
consilio
callide in
commun
uoluerat
pra causs
accedam
patentur
gulis cau
geniter
ritul esse
nos aucto

IN AESCH. ET DEMOST.

qui cum AESCHINEM amplissimis laudibus ornat, tamen in DEMOSTHENICA oratione, tantam eloquentiam esse iudicat, quanta includi in animis hominum possit. Locos nonnulli decerpere, unde specimen aliquod eloquentiae istorum caperetur, sed uelut, si praeclearam statuam dissoluas, quamq̄ insit in singulis membris suis decor, tamen minus clare percipi ac sentiri uentustas uidetur, quam si in integra statua, uideas suo quaeq; loco collocata. Ita malim uos integras orationes oculis atq; animo contemplari, quam sententias quasdam excerpere, e quibus reliqua oratio aestimetur, ut ex unguibus leonem aiunt. Nam si uniuersam tibi proposueris ibi uero senties, non modo quibus uerborum aut sententiarum figuris, sed quo consilio etiam, & qua sollicitudine dixerint, quam callide in populi aures irrepant, quam diligenter sese communiunt, ubi alacrius procurrant in aduersariū, ubi referant pedem, ubi ludificentur hostem, quae proprie causae sint argumenta, quae ornamenta obiter accedant, quomodo in locos communes a causa expatientur, quo genere affectuum ac sermonis in singulis causae partibus utantur. Quae omnia qui diligenter spectarit, nae ille omnium humanorum operū nihil esse admirabilius oratione esse statuet. Quare nos adhortor optimi auditores, ut diligenter has ora

Ee

ORATIO

tionem cognoscatis, atq; intueamini, faciet ea res & ad animi iudicium formandum, & ad locupletandam facultatem dicendi.

Toto caelo errant qui hos oratores, nihil nisi nugaces rabulas fuisse sentiunt, summis ingenijs praediti, maximo rerum usu, in grauissimis caussis uersati perdidicerant, naturas multarum rerum, & uarias gerendae Reipublicae rationes tenebant. Hoc illi instrumentum, Hanc scientiam plurimarum rerum ad ferebant ad perpoliendam orationem. Nam quae de fortuna Demosthenis dicit Aeschines, non sunt a plebeio ingenio profecta. Postquam enim omnem uirtutis laudem illi detraxit, uere ne, nihil ad nos, pergit fortunam insectari, & uetat Rempublicam illi committere, ne priuata eius fortuna exitio sit urbi, uidet enim profecto uidit, non esse communem, ut uulgo putat, fortunam, nec ratione aut prudentia, quemadmodum philosophi docuere, regi posse. Quam crudeliter autem seuit in aduersarium cum industriae laude spoliat, fortunam etiam in omen uertit, ut ab eo tanquam a portento aliquo uoluntates hominum alienet. Quid Demosthenes, cum Cyrili exemplum commemorat, non uidisse putatis, quanta uis esset honestatis, quantumque pulcherrimi facti mentio, multitudinis animos, etiam in aduersa fortuna delectaret. Itaque cum altissime in

IN A E S
 Sicutrospex
 nis, & pra
 itari non de
 tractatio pl
 parum reli
 ethnicis,
 Tantum
 tant, &
 pla capit
 religion
 etiam o
 sciplina
 literaru
 tubet
 rum col
 atq; dice
 dogmata
 caelestib
 Nequ
 pore refl
 slica doc
 an ulli re
 passim
 quia non
 stius est

IN AESCH. ET DEMOST.

sime introspexerint, & naturam rerum, & uim uirtutis, & præuiderint omnia dicturi sapientissime, dubitari non debet, quin ad erudiendos animos, eorum tractatio plurimum conducat. Verum sunt, quibus parum religiose uideor facere, quod tantum tribuo ethnicis, sed cum his non libet hoc tempore rixari, Tantum opto, ut pietatem cuius se prætextu uenditant, & ad religionis nomen confugiunt tanquam in templa capitis rei, re præstare aliquando incipiant. Ego religioni non modo officere has artes existimo, sed etiam ornamenta esse. Nam religio πολιτικῶν disciplinam, & ciuilia officia, quæ scientia humanarum literarum continentur, adprobat, & religiose colit iubet. Impietas est in solo contemptu ciuilium morum collocare. Quid quod sine scientia linguarum, atque dicendi artium, non possunt commode religionis dogmata tractari. Quanto rectius erat beneficijs celestibus religiose uti, atque diligenter excolere.

Neque enim dubium est, quin diuinitus hoc tempore restitutæ sint literæ, ut in repugnanda ecclesiaistica doctrina recte pios adiuuarent. Itaque haud scio an ulli religionem grauius ledant, quam qui in literas passim inter imperitos, non aliam ob culpam, quam quia non didicerunt, debacchantur. Idque hoc molestius est bonis uiris, quia sanctissimum nomen Christi

Ee ij

ORATIO

suo furori prætexunt. Valeant isti quando morosiores sunt, quam ut patiantur se reprehendi. Vos interea officium uestrum facite, & pergite bonas literas sedulo discere, quæ cum ad religionem conseruandã, non nihil momenti habeant. Christo gratis. officium facietis, si strennue eas propugnaueritis.

D I X I.

CRITIAE

ORATIO CONTRA THE

RAMENEM EX XENO

phonte, Phil. Melan.

interprete.



I QVIS E VOBIS, IV
dices, arbitratur plures neca-
ri, quam par sit, is ita apud se
cogitet, hæc accidere solere,
quoties publicus status mu-
tatur. Neq; fieri potest, quin
plurimi sint ijs hostes, qui
multitudini libertatem eripiunt, præsertim cum non
alia urbs inter Græcas populosior sit, aut ubi diutius
libertate

C R I T I A E

libertate populus usus sit. Porro nos ex uoluntate Lacedæmoniorum Rempubl. constituimus, cum uidere-
mus, primum nobis hoc rerum statu non esse tutum
populo permitti libertatē, deinde nec Lacedæmonijs
qui superesse nos uoluere, plebem futuram esse fidam,
optimates autem in fide mansuros esse. Proinde si quē
sentimus potentiae optimatum insidiari, hunc è me-
dio auferre decretum est. In primis autem, si quis è no-
stro ordine, hunc statum labefacere conatus fuerit, in
eum retulerit animaduertere.

Porro Theramenem comperimus planè nobis ma-
chinari exitium, idq; deprehendetis, si diligenter con-
templati fueritis, neminem esse qui perinde calunnie-
tur præsentem statum, & quoties aliquem popularē
Rhetorē necamus, reclamet. Quod si à principio con-
suescet, in hostium numero recte haberetur. Sed cum
ipse nobis auctor fuerit faciendæ cum Lacedæmonijs
pacis, & eripiendæ libertatis populo, immo impule-
rit nos, ut supplicium sumeremus, de ijs qui primi im-
petum in nos fecere, nunc demum aduersatur, ut ipse
intuto sit, à nobis poena exigatur propter ea quæ ges-
sinus. Proinde de eo, non ut de hoste, sed, ut de prodit-
ore supplicium sumite. Est enim proditio hoc formi-
dabilior bello, q̄ difficilior est clandestinas insidias,
quàm apertam uim cauere. Est item ideo etiam in ma-

Ee ij

ORATIO

iore odio proditor quàm hostis, quod cum hoste nonnunquam in gratiam reditur, & bona fide pax conuenit. Cum proditore nemo unquam in gratiam redijt, nec, si uelit, queat.

Sed ut non nunc primum cognoscatis hæc agitari à Theramene, & naturam finxisse eum proditorem, recensebo quædam eius facta. Cum initio à plebe secundum patrè plurimi fieret, incesit eum cupido imperij à populo ad quadringentos transferendi, inter quos ipse primas facile obtineret. At ubi sensit populi uires esse maiores, quàm ut quadringentis illis de imperio cessurus uideretur, partium populi princeps factus est. Quam ob causam & Cothurnum uocarunt, quod utriq; pedi iuxta conueniat cothurnus, & tamè neutri satis adposite.

Proinde non meretur impunitatem is, qui cum alijs auctor fuerit negotij alicuius suscipiendi, mutauerit sententiam, si quid aduersi inciderit. Sed erat uelut in nauis perdurandum, donec secundū uentum nacti fuerint. Si deseras, quomodo possunt conficere cursum, cum mox recurrant, ubi resarit uentus. Iam cum Rebus publicis ac imperijs mutationes omnes cæde consistent, plurimis exitio fuit inconstantia tua, multi te a flore ex optimatibus à plebe necati sunt, multi ex plebeis, ab optimatibus.

Præterea

C R I T I A E

Præterea huic à Ducibus commissum fuerat, nec a
re Athenienses, qui ad Lesbum pugna nauali uicti
erant, quos cum non interfecisset, ne sibi fraudi esset,
non paruissè, duces ipsos accusauit atque occidit. Vn
de adparet semper eum priuatum commodum præ di
gnitate & amicis habuisse. Quare igitur parcendū
ei putatis? cur inconstantia eius cognita non obser
uatis, ne aduersus nos quoq; idem machinetur.


Proinde nos eum accusamus, & insidiarum &
proditiōis. Quod autem merito id fiat, hinc intellige
tis. Nam in Lacedæmoniorum Republ. cum sit opti
me cōstituta, si quis ex Ephoris nolit obsequi cæteris,
sed Magistratum contumelia adficiat, & obstrepat
eorum decretis, dignus pœna iudicatur, etiam ab ipsis
Ephoris, & à tota ciuitate. Vos igitur si sapitis, non
illi, sed uobis parcite. Nā, si hic euaserit, multis
addet animum, ut uobis aduersentur,
quod si interemptus fuerit, spem
demet omnibus domi,
ac foris.

D I X I.

Haganoæ excudebat Iohan. Secker.

Anno. M. D. XXV.





V. 171

